ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXVII—MDCCCXIX.

VOL. I.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS
PRIMI ET SECUNDI ANNI

INDE A DIE VII A. IDUS OCTOBRIS ANNI MDCCCXVII AD DIEM V A. NON. OCT. MDCCCXIX,

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR,

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

ATQUE

FRANC. JOSEPHO DUMBECK,

PRIMO ET

JO. FR. MICHAELE BIRNBAUM,

SECUNDO ANNO

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

BRUXELLIS,

APUD P. J. DE MAT, ACADEMIÆ REGIÆ BRUXELLENSIS, UNIVERSITATISQUE LOVANIENSIS TYPOGRAPHUM ET BIBLIOPOLAM.

M. DCCC. XXI.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A DIE VI OCTOBRIS MDCCCXVII

AD DIEM III OCTOBRIS MDCCCXVIII

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR,

RECTORE MAGNIFICO,

FRANCISCO JOSEPHO DUMBECK,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

GUILIELMO I,

BELGII UNIVERSI REGI

AUGUSTISSIMO, POTENTISSIMO

ET QUAE SUNT RELIQUA,

UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

RESTITUTORI

SACRUM.

PRAEFATIO.

LECTORI BENEVOLO S.

En tibi, lector, primi Academiæ nostræ anni Annales obfero — post triennium.

Miraris forte, cur qui ex legis monito ipsius anno peracto in lucem statim edi debuerunt, tam sero appareant?

Ne hoc mireris, quæ jam tibi sum dicturus, audi.

Quum enim ex me ipse Senatus, cui ego illo anno fui a secretis, ut quamprimum posset fieri, Annales typis excudendos curarem, iterato quæreret, idem ei dare responsum ac tibimet debui.

Multa autem sunt, quæ inique fecerunt in hanc Annalium editionem; quæ partim tecum communicare, partim etiam tacere placet.

Illa vero hæc sunt:

Primum: Orationem ab excellentissimo viro, qui Regi augustissimo in rebus ad artium et literarum studia spectantibus tum a commissis fuit sanctioribus, ipso instituendæ Academiæ nostræ solenni die habitam, propter illius viri graviora officia *diu*, mox ubi ex his eum partibus avocatum comperi, *temere* exspectavi.

Deinde: Oratiunculam eâdem opportunitate a nobilissimo Vice-Comite *a Spoelberg d'Einthouts*, Curatorum nostrorum eo tempore Præside, publice dictam, quum repetita vice ab eo expeterem, obtinere non nisi eâ conditione potui, ut primum haberem illam, de qua cummaxime sum locutus; quoniam hæc illam velut continuaret.

Qua itaque in re, uti vides, spes mea vehementer me fefellit.

Quæ cum ita se haberent, equidem autem labens continuo tempus dolerem, circumspicere, si quæ aliunde acciperem, cœpi atque nunc felicius mihi accidere videbatur.

Quum enim more in omnibus ac quibusvis Academiis inde a prima earum origine ad nostram usque diem solito Professores cathedram auspicarentur seu scripta seu publice etiam prælecta dissertatione inaugurali; nos quoque, idemne facturi simus, non certe multum cogitabamus atque, quoniam alii in diversas a ceteris in hoc consilio capiundo ibant partes, certiores de hac re, quæ nobis honoris visa fuit, ab illis voluimus esse viris, quos penes summum id genus rerum arbitrium est (1).

(1) Nostræ sententiæ vel Curatores adnuebant literis variis ad nos missis (2 Nov. 1817, nº 55 et 11 Dec., nº 87.)

A quibus cum allata esset congrua cum nostra cogitatione responsio (2), continuo in rem perreximus.

Hinc ad me mittebant amplissimi et æstumatissimi collegæ mei, eorumque plurimi, interque eos nonnulli *plures* disputationes *in consessu discipulorum,* ubi primas auspicabantur lectiones, publice prælectas : ceteri ultro mihi suas, quamprimum possent, mittendas seu coram, seu literis promiserunt.

Interea ipse, quod scripseram (3), ac eodem modo prælegeram, typis dedi, ne tempus ad exarandas reliquas elaberetur.

Sed quid quæris ? Vel eam fortuna spem delusitatque, ut luculentos hoc statim primo anno ederem Annales, pia modo vota fuere.

Nam ubi præter opinionem—quia Universitatis typographus in omni potius alia urbe, quam in nostra domicilium suum habet—illa paullo tardius progrederentur; interea a vicinis Academiis ad nos perlata sunt Annalium volumina, quorum index, quum idem et illic sine venia factum videremus, quod nobis auctoritate fuit concessum, nos in nostro consilio eo magis confirmavit.

Verum enim vero paullo post certo certius

(2) Ne dicam obligatio per edictum minist. 26 Jun. 1818, nº 653.

(3) *Dialogos* nempe III, qui *Clio* inscribuntur.

comperimus, nos, optima licet fide, non tamen optime secutos esse regiorum statutorum articulum CLXIII, qui orationes *publice* habitas in Annalibus exscribendas jubet.

Nos vero — quoniam auditorium majus Academiæ nondum paratum adornatumque exstabat, in consessu nostrorum uniuscujusque quivis discipulorum, ideoque *privatim*, illas habuimus orationes.

Ne itaque diutius circa hanc quæstionem dubii hæreremus, decretum summi ejus rei moderatoris conatibus nostris intercessit eosque ad legem jam præcedentem revocavit, quæ Professores omnes *primum* ad cathedram vocatos hac obligatione liberans, recens creandis solitum imponit officium.

Quid plura? Remisi dissertatiuncularum orationumve totum thesaurum ad suum quamlibet auctorem.

Hoc rerum intuitu decrevit Senatus Academicus, ut primi et secundi anni gesta, quemadmodum uno eodemque Rectore essent exhibita, ita etiam simul et unâ ederentur, meque monuit, ut hæc tibi, Lector benevole, præfarer. Vale. Lovanii MDCCCXXI.

F. J. DUMBECK.

INDEX

EORUM, QUAE PRIMO ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

UNIVERSITAS LOVANIENSIS LITERARIA.

I.

DECRETA REGIA

ACTAQUE ALIA

AD RESTAURANDAM ORDINANDAMQUE UNIVERSITATEM SPECTANTIA.

VERBULUM monere, velut in atrio, de antiqua Universitate Lovaniensi non forte ineptum fuerit: matris enim oblivisci, dum filiam ornare cupis, nefas est.

Academia Lovaniensis antiqua tot tantorumque doctissimorum virorum frequentia et gloria florens, mox æmula, mox victrix aliarum, Coloniensis præcipue et Parisiensis Academiarum, a JOANNE IV Brabantiæ Comite illustrissimo, impulsu præprimis ENGILBERTI NASSAVII ac comprobante (1) MARTINO V, Summo Pontifice, anno Sal. MCDXXVI felicissimis auspiciis ad exemplar Coloniensis, cujus veluti filia eique in omnibus rebus simillima haberi potest, instituebatur (2).

(1) Quod factum legimus anno Salut. MCDXXV, anno nempe ante quam reapse lectiones haberi placuit.

(2) Vid. MIRÆUS in Opp. Diplomaticor. T. I, p. 223 sq., coll. p. 225 sqq. Lectiones ipsæ die II Octobris inchoabantur.

Quod eo quidem tempore factum videmus, ubi decrescere splendor et in occasum vergere urbis videbatur (3), ut hæc Universitas quasi sacra existimaretur anchora, ad quam læti confugiebant, calamitate tempestatum contriti, Lovanienses et ceteri — Athenas jam Belgicas.

Cui *literarum humaniorum* Universitati, quum deesset Ordo Theologorum (Academiarum enim erigendarum eo tempore finis fuit *humaniorum* literarum cultus) eum precante Philippo Bono Comite addidit Eugenius II P. M. (4).

Ceterum hæc Universitas, quam fere *Theologam* dixeris (5), ab Imperatoribus custodita; quam Romani Pontifices in sinu fovebant (6); quæ Apostolicæ Sedis juxta Coloniensem matrem fortissimum fulcimentum fuit; quæ potestate et potentia immodica (forsan et ruinæ prima causa) imperantes adæquavit, typum ætatis suæ egregie expressit. Ast vero etiam vel post renatas per orbem terrarum literas ac Jurisprudentiæ præprimis studia, in

(3) Lege J. Lipsii Lovanium, i. e. oppidi et Academiæ Lovanii descript. LL. III in Opp. T. III. Antverpiæ 1637, fol. Circa ea, quæ huc maxime spectant, vid. L. II. cap. X. XI. XII.

(4) Hodie quoque deest nobis, dolor! hic Theologorum Ordo, donec inito cum sacra Sede concordatu hæc pars studiorum integrans, Regis munificentissimi gratia, ceteris doctrinis adjicietur. Interea inutilis fere jacet totus Theologorum operum in Bibliotheca non exiguus thesaurus. Ceterum spes adest et, cum hoc nostro tempore omnia et vero etiam ipsa Academiæ nostræ reparatio præter spem contingerent, si quodammodo e rerum similitudine cum nostris illarum similis quoque exitus conjici liceat; in hac ipsamet similitudine felices conspicere aves fas est: propterea quod universum Jurisprudentiæ studium, jure nimirum Canonico non explicato (quod edictum regium fert, die XXIX Augusti MDCCCXVII, nº 1814 datum) licet hæc jurium pars fere extra usum venerit, mancum quodammodo erit.

(5) Clariores aliquot Theologos laudat *N. Curtius* in opere infra nominando p. 37—39.

(6) Et a quibus penitus erat suspensa. Vid. Epist. Clem. XI P. M. ad Academ. Lovan. in ejus Ep. et Brev. Romæ 1724, T. I. p. 91.

hac ulteriori doctrina eam non multum profecisse ab eruditis (7) creditur, ut quæ omnia in Juris Canonici usus et abusus vergerent.

Artem vero Medicam, qualis ista illo fuit tempore, discipuli docebantur (8).

Literæ humaniores, licet eæ fere omne studium complere debuissent, quoniam Universitati ipsimet originem dederunt, quia omnia in Theologia collocabantur, ad usque Justi Lipsii et similium coryphæorum tempora (9) plane negligebantur, seu in communes usus detrahebantur.

Philosophiæ autem numen (aliter enim neglecto humaniorum literarum studio evenire non potuit) quasi spinarum scholasticarum et dialecticarum causa, quod nemo nescit, pro ratione illorum temporum, adesse videbatur (10).

Attamen sospes sartaque mansit ingens per orbem illius Aca-

(7) Quam quidem sententiam non utique veram dixerim: infringunt enim laudata magnorum Jureconsultorum et nomina et ab iis relicta opera, quæ omnibus nota. Laudat *Curtius* clariores aliquot Juris Professores l. c. p. 40—42.

(8) Hanc vero artem maxime inquinant viri docti, ne dicam, ad vivum resecant; jure an injuria, non meum est discernere. Professores quosdam celebriores laudat idem ille *Curtius*, p. 44 sq. Ceterum clarissimi Regæ meminerint.

(9) *Collegium* enim *Trilingue*, a re vocatum, quis nescit a Hier. Buslidio institutum, ubi Hebraica, Græca, Latina præceptores habuere: quod ipsum institutum non ad Batavos modo descendit, sed in Angliam quoque transfretavit. Sed quid quæris? Qui hinc habuere, continuo colebant has Musas; qui dedere, aspernabantur. Audi apud *Lipsium* neglecti plane *Græci* sermonis justas querelas L. III, c. 4. Nonne hoc rerum intuitu dixeris, hanc Universitatem simul ac illis doctrinis, quibus ipsa lucem debuit, valedixerit, in pejus esse versam longeque recessisse ab illo humanitatis cultu, qui, ut ita dicam, αὐτόχθων in hac civitate fuit?

(10) Collegii Philos. Professores vide apud eundem *Curtium* l. c. p. 46 sq.

demiæ fama ad usque *Jansenismi* altercationes, quibus in opinione publica labi cœpta est; donec tempestate recentiori, antiqua continuo vestigia secuta, *Josephi II* Cæsaris conatibus, neque tamen invitis plane Musarum numinibus, vehementer concitabatur.

Quomodo denique sortem passa sit earum institutionum, quæ oppugnante ætatis genio in constitutionis et longæ consuetudinis litera et velut formâ inhærent, ideoque conversione Gallica ipsa anno MDCCXCVII eversa, immo e numero Academiarum, exactis quatuor integris sæculis, radicitus deleta sit, hoc omnes fere ipsimet nostris oculis videbamus, lugebamus (11).

(11) Quoniam non nostrum est, sive si modestiam, quam antiquis id genus institutionibus debemus, sive si hoc Annalium condendorum consilium spectamus, de vetere Academia ferre judicium, ab eo plane abstinemus. Attamen non abs re esse, neque inutile, neque vero etiam facile existimamus, navari operam condendæ illius Universitatis historiæ ab illis viris, qui omnibus historici virtutibus instructi, omnes et quosque, qui ad nostram diem servabantur, fontes studiose perquirentes, atque ex illis viris iisque doctissimis clarissimisque, qui ipsimet illius Academiæ quondam Professores, Rectores, Moderatores, florentique ejus ætati æquales, hodienum vitam agunt, percontati, faciem ipsius instituti, rerumque incrementa, progressus, culmen, lapsum interitumque, sine studio ac invidia, consignare velint; ante omnia vero literarum statum, rationem, sensum; atque altera ex parte res a Senatu illius gestas, quæ nempe vim habuere sæpe maximam seu in rempublicam, seu in ipsum systema politicum, sedulo in lucem depromant. Quidquid enim fuit splendoris in illo instituto, illud hac luculenta notitia novam vitam acciperet, scholaque fieret animi humani universe, et præprimis genii illius ætatis perscrutatori. Quamdiu hæc nobis descriptio non contigerit, ut hujus Academiæ historiam quodammodo sequi ipseque judicare possis, præter laudata opera inspice Ch. Aug. Heumanni Bibl. Hist. Acad. (ad calcem Antiquitatum Academicarum *H. Conringii*, Gotting. 1739. 4), unde, quia hic liber non facile in manibus omnium tractatur, hæc suppeditare opera velim:

M. Dorph (Theol. Ac. Lov., de quo vide *Hardtii* historiam liter. Reform. P. I. p. 74 et *Fabricii* Bibl. Lat. med. et inf. ætatis L. IV. p. 185.) Oratio de laudibus omnium disciplinarum et amœnissimi Lovanii Academiæque Lovaniens. Lovanii 1514. 4.

N. Curtii Elegiarum liber de Acad. et urbe Lovan. ibid. 1574-8; ubi p. 13-15

Nunc autem satius est, animum advertere in hæc tempora, quibus ea novis et felicioribus auspiciis GUILIELMI Regis benignissimi restituebatur atque e mortuis resuscitabatur. Hæc quidem omnia, suo quæque ordine, brevi narratione perstringemus.

1.) Quod *institutionem* reipublicæ literatæ attinet, hanc habe e statutis regiis (Reglement op de inrigting van het Hooger Onderwijs in de zuidelijke Provincien van het Koningrijk der Nederlanden, datis die 25 Sept. MDCCCXVI) excerptam legem:

Art. VII.

« Er zullen in de zuidelijke Provincien *drie* hooge scholen » zijn, aan welke niet alleen de studien, tot bekoming van we- » tenschappelijke graden zullen voleindigt, en die graden zelve » toegekend worden, maar aan welke, dien ten gevolge, in alle

notitia est de collegio a *Viglio* et alio a *Petro Van Dale* condito. Adjectum est carmen *Hadr. Barlandi* de laudibus amœnissimi Lovanii.

Andr. Catulli Prometheus s. urbis et Acad. Lovan. Encomium: ibid. 1636. 4.

N. Vernulæi de Acad. Lovan. LL. III, in quibus ejus origo, incrementum, forma, magistratus, facultates, privilegia, scholæ, collegia, viri illustres, res gestæ describuntur, ibid. 1627. 4.

Fasti doctorales juris utriusque, h. e. Doctores et Professores Facultatis J. utr. quotquot in Acad. Lovan. supremum hunc titulum adepti sunt, aut aliunde attulerunt, ibid. 1629. 4.

Abr. Gorlnizii Itinerarium Gallico-Belgicum. Lugd. B. 1631, in quo de Academia Lovan. p. 109-10 agitur.

Val. Andreæ Fasti Academici studii generalis Lovan. i. e. origo et institutio, Rectores, Cancellarius, Conservatores, Doctores et Professores, Fundatores et Benefactores resque aliquot memorabiles ejusdem Universitatis. Lov. 1635. 4. (ed. aucta 1650). De Promotore vid. *Lipsium* l. c.

Jo. B. Grammaye, Antverpiensis, de Academia Lovaniensi.

F. J. Dumbeck.

» de voornaamste deelen van menschelijke kennis onderwijs zal » gegeven worden. »

Art. VIII.

« Deze hooge scholen zullen gevestigd zijn te *Leuven*, *Gent* « en *Luik*. »

2.) Hæc jacta quidem fundamenta. Quoniam vero nunc Curatores erant nominandi, Professores eligendi, patriæ juventus convocanda, scholæ cathedris sedilibusque instruendæ (nam hæ quoque res evanuerant) totaque suppellex comparanda, ædesque ipsæ ornandæ; facta institutione non statim etiam lectiones habitæ sunt; sed rejectæ in annum sequentem, qui est hujus sæculi *decimus septimus*. Diem inaugurandæ Universitatis Guilielmus ipse rex publico edicto (19 Aug. 1817, N° 1666) *tertium Novembris* esse voluit.

3.) Jam regio decreto (d. 1 Sept. 1817, N° 1850) Academiæ Curatores dicti sunt viri illustrissimi :

Franciscus Jo. Jos. *Comes a* SPOELBERGH D'EINTHOUTS, Ordinum regni Senatui, Ordini etiam Equestri Provinciæ Brabantiæ meridionalis, rerumque Belgicarum Procuratoribus adscriptus, illustr. Curatorum collegii Præses, etc. natus die 22 Dec. 1757.

Guil. Anton. Franciscus *liber Baro de* FELTZ, regni Ordinum Senatui, Ordini equestri M. Ducatus Lucemburgensis adscriptus, Consilii secreti principis socius, Ordinis Leonis Belgici Equitum Decurio, Acad. lit. Bruxellensis Præses, etc. natus d. 5 Febr. 1744.

Carolus Franc. DE NIEUPORT, Equitum quondam Melitensium Decurio, Ordinis Leonis Belgici Eques, Comes sacri cubi-

culi, Ordinum regni Senatui adscriptus, Instituto regio Parisino et Academiæ Holmiensi a communicatione epistolica, Instituti Amstelædamensis, Academiarum Bruxellensis, Flessingensis, Harlemanæ socius, natus die 13 Jan. 1746.

Carolus Jos. Eman. VAN HULTHEM, *Gandavensis*, Ord. Leonis Belgici Eques, Instituti regii Belgici socius, Academiæ Artium et Scient. Bruxell. perpetuo a secretis, Societati Agriculturæ et Botanices Gandensi Præfectus, Bruxellensi ad artes excolendas institutæ Vice-Præses, Acad. Gandens. Delineationis, Picturæ, etc. item Bibliothecæ regiæ Brux. Director, Academiis Harlemanæ et Middelburgensi scientiarum, literarum Belgicarum Lugdunensi, æmulationis Cameracensi adscriptus, Acad. reg. Brux. Picturæ, Sculpturæ, Architecturæ a consiliis, etc. nat. 17 Apr. 1764.

Gerardus D'ONYN DE CHASTRE, Ordinum regni Senatui adscriptus, Ord. equestris prov. Brabantiæ meridionalis socius, civitati Lovanii Præfectus, ac collegii liter. human. Lovaniensis Præses, etc. natus d. 13 Apr. 1757.

Joannes Benjaminus ROELANTS, Artium et Literarum Academiæ Gandavensis, item Acad. liter. Brux. socius, collegio Curatorum a secretis, natus d. 5 Sept. 1781.

4.) Professores diversorum Ordinum, seu ordinarii, seu extraordinarii, seu Lectores Academiæ, variis decretis regiis ad usque d. 23 Sept. 1817 ad docendi munus e doctissimis patriæ viris electi, sive peregre adsciti sunt hi, eo quidem ordine (per classes tamen recensiti) quo in decretis ipsismet occurrunt:

In Ordine Jureconsultorum:

Henricus Ferdin. DECOSTER, ex Steynockerzeel, Jur. utr. Doctor, Acad. Bruxell. jam antea Prof. extr. natus 17 Maj. 1784.

Jo. Franciscus Michael BIRNBAUM, Bambergensis, Phil. et Jur. utr. Doctor, nat. 19 Sept. 1792.

Xaverius JACQUELART, Lovaniensis, Jur. utr. Doctor, quondam ejusdem Ord. in Univ. Lov. Prof. nat. 15 Jan. 1767.

Jacobus Philippus DE BRUYN, Lovaniensis, in utroq. Jure Licentiatus, jam ab anno 1794 Jur. Prof. nat. 12 Dec. 1766.

In Ordine Medicorum:

Franc. Jos. HARBAUR, Neovillano-Alsatus, Med. et Chir. Dr, augg. regis Archiater, Ord. Leonis Belgici et Wolodimiri Russici IV cl. Eques, Acad. Art. et Scient. Bruxell. aliarumque socius, natus 24 Mart. 1776.

GUIL. JOSEPHUS VAN GOBBELSCHROY, Lovaniensis, Med. Licentiatus, jam pridem, ab anno 1783, in Acad. Lov. Prof., natus 28 Aug. 1757.

CAROLUS FRANC. JACMART, Namurcensis, Med. Dr, Scientiarum mathematic. et physicar. M., complurium Academiarum, tam nostratium, quam extranearum socius, natus 5 Jun. 1773.

JOS. JODOCUS VANDERTAELEN, Thenensis, Med. Licent. Profess. extraordinarius, natus 25 Apr. 1766.

In Ordine Disciplinarum mathematicarum et physicarum.

JO. FERDINANDUS SENTELET, Overwindæ-Landensis, Theol. Licent. Ord. Scient. math. et phys. Dr, Academiæ Lov. antiquæ ab anno 1780 et postea Acad. Bruxell. Prof., Instituto regio, Acad. Art. et Scient. Bruxell. adscriptus, et collegio lit. hum. Lovan. administrando ab actis, nat. 17 Jul. 1754.

JO. BAPT. FERDIN. ANTONIUS VAN MONS, Bruxellensis, Med. Dr, Physices et Chymiæ jam pridem Prof., Instituto regio Galliæ et Belgii, Acad. Art. et Scient. Bruxell. aliisque quamplurimis adscriptus, natus 11 Nov. 1765.

FR. JACOBUS GOEBEL, Munigolshemio-Pruhræno-Badensis, Phil. Dr, natus 16 Jul. 1791.

In Ordine Philosophiæ et Literarum humaniorum.

FRANCISCUS JOS. DUMBECK, Munigolshemio-Pruhræno-Badensis, Philosophiæ Dr. AA. LL. M. Collegii literarum humanior., quod Lovanii est, administrandi socius, nat. 31 Octob. 1791.

GE. JOSEPHUS BEKKER, Walldurâ-Badensis, Philos. Dr. AA. LL. M. natus 22 Dec. 1792.

JO. BAPTISTA LIEBAERT, Messenensis, Artium Dr. in ant. Univ. Lov. Prof., natus 24 Febr. 1757.

STEPHANUS HEUSCHLING, Lucemburgensis, Jur. utr. et Philos. Dr, natus 1760.

ALBERTUS TEN BROECKE HOEKSTRA, Juris utriusque Doctor Acad. liter. Lugdunensis in Batavis itemque pro excolendo jure patrio Groninganæ, Instituto regio, et Societ. Art. et Scient. Amstelædamensi ac Flessingensi adscriptus, natus 18 Febr. 1765.

5.) Quibus accedebant regio decreto (d. 29 Octobr. 1817, n° 2367) *in Ordine Medicorum* :

JOANNES MARIA BAUD, Rumiliaco-Sabaudus, Med. Dr. Profess. extraordinarius, nat. 16 Jul. 1776.

6.) Decreto alio (24 Mart. 1818, n° 73) :

FRANCISCUS JOS. ADELMANN, Herbipolitanus, Scientiar. mathem. et physicar. Prof. ordin. natus 25 Jul. 1787.

7.) Denique decreto summi harum rerum moderatoris (dato 15 Jul. 1818) *in Ord. Philos.*, etc.

JOSEPHUS JACOTOT, Diviodunensis, Philos. Scient. mathem. et phys. atque Jur. utr. Dr, in eâdem civitate scholæ polytechnicæ quondam Subrector, Literarum antiq. Scient. mathem. Jurisque, temporum successu, Professor, Acad. Scient. art. et literar. Diviodunensis socius; apud nos literarum Gallicarum Lector academicus, natus 1764.

8.) Quum, quod non nisi Lugdunensi ac nostræ Academiæ contingit, *Nosocomium militare regium* nexu quodam ampliandi studii ac experientiæ Medicinæ studiosorum gratia contineatur cum *Nosocomio civium*, ideoque non minus cum Academiæ nostræ Ordine Medico; augustissimo Regi pro sua illa sapientia placuit, ut virum experientissimum, JOANNEM ZINKGRAEFF, Heidelbergensem, Med. et Chirurgiæ Doctorem, ordine equitum Legionis Aquilinæ Gallicæ insignem, in illo nosocomio summum rei Medicæ moderatorem, et nomine et dignitate Professoris Academiæ *honorarii* mactaret (17 Jul. 1817. L. R., nº 51.)

9.) Item edicto publico a Rege constitutum est, (23 Sept. 1817) ut anno primo in Universitate nostra munus *Rectoris Magnifici* in se reciperet FR. J. HARBAUR, Med. Prof. ord.

10.) Quibus omnibus ac singulis rite constitutis, posteaquam etiam a collegio Curatorum Senatus *Accensi* (21 Sept. 1817) nominati fuerant; vir excellentissimus, REPELAER VAN DRIEL, cui hæ literatæ reipublicæ partes commissæ erant, Curatores literis

(17 Sept. 1817, n° 2016 consignatis) certiores esse voluit, Universitatem nostram solemni ritu inaugurandam esse die 6 Octobr.

11.) Hinc illustre illud Collegium, ut quæque cum dignitate fierent, neque unquam quicquam male feriatum sacro hoc die, æterna memoria digno eorum, qui futuri sunt, eveniret, in concentu cum civitatis magistratibus decrevit, ut inauguratio hoc modo, atque ex hoc decreti eorum sensu perageretur:

DISPOSITIONS RÉGLEMENTAIRES,

ARRÊTÉES PAR LE COLLÉGE DES CURATEURS,

POUR

LA CÉRÉMONIE DE L'INSTALLATION DE L'UNIVERSITÉ.

1°. Le 6 Octobre 1817, les Autorités civiles et militaires, à ce invitées particulièrement, se réuniront à l'hôtel-de-ville, à onze heures du matin, pour se rendre de là, en cortége, à l'Université.

2°. La séance sera présidée par S. Exc. le Commissaire de l'Instruction publique, des Arts et des Sciences.

3°. Le collége des Curateurs prendra séance après S. Excellence.

4°. Les Membres de l'Université se placeront à la gauche des Curateurs.

5°. Le Public, invité par cartes, se rangera sur des banquettes au bas de l'estrade.

6°. S. Exc. le Commissaire-général ouvrira la séance par un discours.

7°. Le Secrétaire-Inspecteur donnera lecture des nominations des Curateurs et des Professeurs.

8°. Ces derniers prêteront, entre les mains du Président des Curateurs, le serment prescrit par le réglement organique.

9°. Le nom du Recteur sera ensuite proclamé, et il prêtera également le serment exigé en cette qualité, entre les mains du Président des Curateurs.

10°. Après le serment, S. Exc. le Commissaire-général déclarera l'Université installée.

11°. Mr. le Président des Curateurs prononcera un discours.

12°. Un troisième discours prononcé par le Recteur magnifique terminera la séance.

Louvain, le 27 Août 1817.

Le Président-Curateur,

Signé, Le Vicomte DE SPOELBERG D'EYNTHOUTS.

Le Secrétaire-Inspecteur,

Signé, ROELANTS.

Approuvé par le Commissaire-général de l'Instruction publique, des Arts et Sciences.

Signé, REPELAER VAN DRIEL.

Bruxelles 1er Octobre 1817.

PROCÈS-VERBAL

DE

L'INSTALLATION DE L'UNIVERSITÉ.

Cejourd'hui 6 Octobre 1817, à dix heures et demie du matin, MM. les Membres du Collége des Curateurs se réunissent chez leur Président, M. le Vicomte de Spoelberg d'Eynthouts, et se rendent à onze heures précises chez S. Exc. Monseigneur le Commissaire-général de l'Instruction publique, qu'ils accompagnent ensuite à la maison-de-ville, où S. Excellence ainsi que le Collége sont reçus par M. le Curateur d'Onyn de Chastre, Bourgmestre de la ville, présidant le Conseil de Régence.

Le Corps enseignant, les Autorités civiles et militaires également réunis en la maison-de-ville se forment en cortége, et précédés par une garde d'honneur, composée de l'élite de la jeunesse de Louvain, se rendent à midi avec Son Excellence le Commissaire-général et le Collége des Curateurs au local de l'Université, destiné à son installation.

Son Exc. Monseigneur le Commissaire-général, prescrivant la séance, occupe le fauteuil qui lui est destiné, ayant à sa droite les Membres du Collége des Curateurs, et à sa gauche le Recteur magnifique et les Professeurs.

A droite et à gauche sur l'estrade, sont placés les Membres du Collége des Echevins et de la Régence et les autres Autorités tant civiles que militaires.

Un auditoire nombreux et choisi remplit la salle. Son Excell. le Commissaire-général ouvre la séance par un discours plein

d'une noble éloquence, dans lequel, après avoir retracé les titres de l'ancienne Université de Louvain à la reconnaissance et à l'admiration de la postérité, il offre la douce persuasion que des destinées non moins brillantes sont réservées à l'Université actuelle, puisque les intentions paternelles de Sa Majesté seront secondées par un zèle aussi ardent qu'éclairé.

Ce discours terminé, le Président du Collége des Curateurs se lève et prononce également un discours dans lequel il exprime les sentimens de gratitude, qui animent tous ceux qui assistent à la solennité et donne l'assurance qu'il consacrera, lui et ses honorables Collègues, tous ses soins aux progrès de l'institution, dont le souvenir se rattache aux fastes les plus glorieux de la Nation.

Ce discours terminé, le Secrétaire-Inspecteur donne lecture des décrets de Sa Majesté qui nomment MM. les Professeurs.

Lecture est également donnée de la formule prescrite par l'article 187 du réglement organique, et chacun des Professeurs vient successivement prêter le serment entre les mains du Président-Curateur.

Le Secrétaire-Inspecteur donne ensuite lecture du décret par lequel Sa Majesté nomme M. le Professeur Harbaur aux fonctions de Recteur magnifique; celui-ci se présente devant M. le Président et prête également entre ses mains le serment mentionné dans l'article 186 du réglement.

Son Exc. Monseigneur le Commissaire-général se lève et proclame l'Installation de l'Université de Louvain.

L'enthousiasme de l'auditoire se manifeste par les applaudissemens les plus vifs, et des symphonies se font entendre.

M. le Recteur magnifique prend ensuite la parole, et, dans une harangue analogue à la circonstance, il témoigne combien

il partage vivement les sentimens exprimés dans les discours précédens, et rappelle ainsi l'image de l'heureuse harmonie qui anime l'Université.

Une symphonie se fait entendre de nouveau, et les acclamations les plus vives et les plus unanimes terminent l'imposante cérémonie.

La séance est levée à deux heures.

Présens MM. le Vicomte de Spoelberg d'Eynthouts, Président; Baron de Feltz, Commandeur de Nieuport, Ch. Van Hulthem, Bourgmestre d'Onyn de Chastre, Curateurs; Roelants, Secrétaire-Inspecteur.

Pour extrait conforme : le Secrétaire-Inspecteur de l'Université de Louvain : *Signé*, Roelants.

13.) Quum his ita constitutis eluceret illa dies, sacris literis ad posteros celebranda, tota nostra civitas, antiqui hujus Universitatis illius amplissimi splendoris haud profecto immemor, eumque, perfusa novo gaudio, reducem nunc, quoad quidem per tempus et ætatis habita ratione liceret, suis videret oculis, revocata illa urbanitate et justi honoris dignatione, festivo habitu induta ad nobile quoddam celebrationis genus parandum sese accingebat; ut, ne de ipsis Musarum ædibus dicamus, non via, non domus fere esset, quæ non lauris, coronis, arcubus, inscriptionibus digno modo esset insignita: quam quidem rem ex erectiore gaudii sensu profectam, ut potuit fieri, jam in diurnalibus et ephemeridibus perscriptam, ipsi tacemus.

14.) Peracta vel hac non injucunda certe parte, quatuor Academiæ Ordines, ex mente articuli 108 Statutorum regg. (25 Sept. 1816) e suo medio elegerunt singulorum Ordinum amplissimos viros, qui collegium sanctius illud Academiæ per hunc annum

constituerent atque simul cum Rectore atque Senatus scribâ Ephororum nomine venirent, atque hoc modo munus Rectoris tanquam *Assessores* suo consilio juvarent.

Sunt autem qui, comprobantibus Curatoribus, hunc magistratum gerebant, hi viri clarissimi :

Ex Ordine Jureconsultorum

XAVERIUS JACQUELART;

Ex Ordine Disciplinar. mathem. et physicarum

JO. FERDINANDUS SENTELET;

Ex Ordine Philos. et literar. humaniorum

JO. BAPTISTA LIEBAERT,

qui hoc anno vel *Prorectoris* munere fungebatur.

Placuit Professoribus, ut viri iidem singulis etiam Ordinibus *Decanorum* nomine præessent.

15.) Iidem *Assessores* humanissimi, ex lege 108, 184, 194 Statutor. reg., electo per quatuor ordinum socios senario Professorum numero, ex illo, probante illustrissimo Curatorum collegio, denominarunt, qui hoc eodem anno Senatui Academico a secretis esset :

FRANCISCUM JOS. DUMBECK, Ord. Philos. et lit. hum. Profess. ordinarium.

16.) Ut scribarum quoque singulorum Ordinum munus complerent, juxta artic. 197 Stat. reg. dicti sunt :

Ex Ordine Medicorum

Carolus Fr. Jacmart;

Ex Ordine Jureconsultorum

Jo. Fr. Mich. Birnbaum;

Ex Ordine Discipl. math. et physicarum

Fr. Jac. Goebel;

Ex Ordine Philos. et lit. humaniorum

Gr. Jos. Bekker.

17.) Factâ, dum hæc gerebantur, lectionum indictione, patriæ juventus frequentius, quam opinio ferebat, advolavit, ita ut in album Academiæ inscripta, elapso temporis ad hoc dati spatio, numerum compleret CCXIX studiosorum, quorum hæc quidem singulorum Ordinum ratio est:

Ordinis Medicorum	LXXI.
—— Disciplinarum math. et physicarum	VII.
—— Philos. et literarum humaniorum	XXIV.
—— Jureconsultorum	CXVII.
Quatuor Ordinum summa	CCXIX.

18.) Quum juxta Statutorum reg. art. 151—161 mirabili illa augustissimi Principis munificentia iis studiosorum juvenum, quibus non ea contigit fortunula', qua ad studiorum campos e suis rebus sine impedimentis percurrendos opus est, auxilia feruntur luculenta, quæ apud nos *Bursarum* nomine veniunt, illustrissimo Curatorum collegio, indicto publice concursu atque re omni ex parte e sensu legis sedulo ponderatâ placuit, ea auxilia optime merentibus impertiri.

II.

DISCOURS

PRONONCÉ LE 6 OCTOBRE 1817

A L'OCCASION DE L'INSTALLATION

DE

L'UNIVERSITÉ,

PAR M. LE DOCTEUR

FRANÇOIS-JOSEPH HARBAUR,

PROFESSEUR EN MÉDECINE,

NOMMÉ

RECTEUR MAGNIFIQUE DE LA MÊME UNIVERSITÉ.

DISCOURS

PRONONCÉ LE 6 OCTOBRE 1817,

A L'OCCASION DE L'INSTALLATION DE L'UNIVERSITÉ,

PAR M. LE DOCTEUR

FR. JOS. HARBAUR,

PROFESSEUR EN MÉDECINE,

NOMMÉ RECTEUR MAGNIFIQUE DE LA MÊME UNIVERSITÉ.

D'après ce que nous avons déjà entendu dans cette enceinte sur les avantages de la création généreuse de notre Monarque, du rétablissement d'une Université dans cette ville, il me reste peu à dire sur une aussi belle conception. Je ne pourrais que me perdre en éloges sur la bienfaisante sollicitude de ce Roi, qui, ne connaissant de jouissance dans la vie que par un dévouement constant à tout ce qui peut contribuer à la prospérité générale, a résolu de relever l'éducation publique et la moralité, toujours plus ou moins foulées aux pieds dans les temps de troubles et de guerres, où trop souvent les passions sont exaltées et où la force tient lieu de raison.

Il était bien temps qu'enfin la carrière fût rendue libre à l'esprit humain, afin qu'il pût s'exercer sans crainte et sans anxiété dans les erreurs comme dans la vérité. Sans cette liberté, sans cette indulgence pour l'erreur, la vérité même est souvent comprimée, comme l'histoire le prouve suffisamment. Combien d'il-

lustres victimes n'a-t-elle pas comptées dans les temps où les sciences étaient subjuguées et tenues à ne pas sortir d'un cercle prescrit, soit par un souverain despote, soit par le préjugé? Combien de vérités sublimes ne possédons-nous pas aujourd'hui, contestées par personne, pour lesquelles cependant leurs auteurs ont pourri dans les prisons! — D'où venait tant de cruautés? C'est que des hommes étaient juges, et ces hommes aussi étaient sujets à erreur. Ils condamnèrent la verité, parce qu'elle était contraire à leurs erreurs, qu'ils regardaient comme des vérités éternelles. — Enfin ces temps ne sont plus; nous ne craignons plus ces entraves aux sciences. L'erreur même, cet avorton de l'esprit humain, ne sera plus combattue par la force, mais par la vérité, enfant mûr d'un raisonnement sincère et indulgent.

Appelé au Rectorat de cette Université, la première année de son organisation, je sens tout le fardeau des devoirs que cette charge m'impose. Ces devoirs ne surpassent ni ma bonne volonté, ni mon courage; mais je serais inquiet de la faiblesse de mes moyens, si je ne pouvais lever les yeux vers un Ministère éclairé et bienveillant, qui ne nous abandonnera pas; si je ne voyais dans cette enceinte ces sages Curateurs, que la sagacité prudente du Souverain a su choisir pour nous guider avec le flambeau de leur expérience et de leurs profondes connaissances; si, enfin, je ne pouvais m'appuyer sur vous, mes respectables Collègues, qui me promettez avec bienveillance de m'éclairer de vos lumières, de m'aider de vos conseils et de concourir de toutes vos forces à la prospérité de ce nouvel établissement, que vous devez illustrer.

Nous voilà donc enfin rentrés dans ces murs si long-temps silencieux, qui, destinés premièrement à l'industrie, furent bientôt consacrés aux muses, auxquelles l'ancêtre de notre auguste Roi a su faire créer ce siége; monument vaste et imposant, qui depuis quatre siècles atteste l'industrie et la splendeur des

anciens habitans de cette cité; qui nous rappelle les suites funestes de la guerre civile, l'époque douloureuse, à laquelle l'industrie s'est éloignée pour enrichir un sol étranger. Mais aussi, monument précieux de la sagesse des habitans actuels de cette ville, qui ont su le conserver et le soustraire à la fureur destructive des derniers temps, et qu'il appartenait au digne descendant de Nassau de le rendre à sa belle destination.

C'est dans ces murs que va se réunir une élite de jeunesse : à nous, mes respectables Collègues, est imposé le devoir honorable d'en former le cœur et orner l'esprit, afin qu'ils répondent à l'attente du Roi et de la Patrie. Cette jeunesse se mêlera parmi vous, estimables habitans de la ville. Vous aussi contribuerez à former leur caractère, à leur inspirer l'amour de la vertu et du succès de leurs études.

Dans cette carrière honorable, que Sa Majesté nous a ouverte, mes respectables Collègues, nous trouvons un sujet particulier qui doit stimuler notre émulation. Déjà l'an 1425 Engelbert de Nassau a réussi à faire établir une Université dans cette ville.

La célébrité qu'elle a su acquérir n'est ignorée de personne : elle était la plus renommée des siècles précédens, et encore aujourd'hui nous respectons des hommes marquans, qui lui doivent leur éducation scientifique. Ce glorieux souvenir, tout en nous montrant au loin le but honorable que nous ne saurons atteindre que par de grands efforts, doit nous remplir également d'ardeur et de courage, pour nous rendre dignes de rivaliser avec nos grands prédécesseurs. Cependant comme l'ouvrage de l'homme n'est jamais parfait, il ne peut durer éternellement. En remontant ainsi aux temps de la splendeur et de la gloire de l'Université de Louvain, pour alimenter notre zèle et soutenir notre courage, nous ne pouvons oublier les causes qui ont ralenti cette marche rapide et enfin arrêté tout-à-fait, pendant de lon-

gues années, les progrès des sciences. Nous ne les oublierons pas, mais nous n'y penserons que pour être sur nos gardes, afin de ne pas tomber dans les mêmes fautes.

Nous tâcherons de combattre avec indulgence les erreurs comme suite naturelle de la faiblesse inhérente à l'humanité, et de ramener avec bonté nos frères à la vérité. N'en doutons pas, mes respectables Collègues, la vérité triomphera et notre Université fleurira.

III.

FRANCISCI JOSEPHI DUMBECK

PROLUSIO,

PRIMAE LECTIONUM SERIEI PRAEFIXA,

QUA

LECTISSIMIS PATRIAE ADOLESCENTIBUS

INITIA LECTIONUM PUBLICARUM

CUM DIE IX NOVEMBRIS MDCCCXVII INDICIT.

FRANCISCI JOSEPHI DUMBECK
PROLUSIO,

PRIMÆ LECTIONUM SERIEI PRÆFIXA, QUA LECTISSIMIS PATRIÆ ADOLESCENTIBUS INITIA LECTIONUM PUBLICARUM CUM DIE IX NOVEMBRIS MDCCCXVII INDICIT.

QUOD DEUS BENE VORTAT!

LECTORIBUS OMNIUM ORDINUM SALUTEM ET OFFICIA.

Lætiorem nunc ætatem agentes juvat profecto peractorum meminisse temporum, quæ licet effectu magis, quo nos perterruerunt, quam rerum pondere, quibus gravida fuerunt, nobis parum felicia videri deberent, nihilotamen secius præsentia, velut infantem mater — de futuris enim quis dubitat — sunt enixa.

Transegimus magnum tempus, fluctuantibus rebus externis, mutationibus ac conversionibus rerum summopere agitatum; grave bellis acerbis, portentosum, lugubre calamitatum omni genere. Regna vidimus per cruentas manus regesque cadentes; dilaceratum genus humanum communi fortunæ ludibrio, calcata pedibus jura sacratissima gentium; disiectam civitatum Europæ æquabilem illam trutinam; libertatem singulorum et independentiam populorum deper-

ditam; profligatos bonorum omnium animos, ut illa ætas, non certe injuria, infelix *conversionum* nomen promereretur.

Sed quis est, quin in medio naufragio rerum sapiens S. Numinis consilium, ac moderamina conspiceret historiæ, semper contrariarum actionum et miseriarum conciliatricis?

Quis vero nescit quoque, mala istà profluxisse ex iisdem fontibus cum impietate, lascivia, morumque laxissimorum ruina, fastuque et arrogantia prorsus inaudita, quæ, spretis legibus, dominans ipsa per orbem terrarum, invitis bonis omnibus in conficiendo nefario incumbens facinore, vitæ vigorem delevit, inque vicem ejus virium languorem, solutis dominandi cunctarumque libidinum frenis, creavit, diuturnæ paci faustæque Musarum tranquillitati — infesti sola uniûs voluntate hominis molliente — quibusvis impedimentis mortalium conatibus incubans?!

Ast vero si verum est — quid autem verius? — quod *Thucydides* ait, tempestates et altercationes necessarias esse in civitatibus; nonne hæc quoque innumerorum morborum crisis, quibus adfectæ civitates erant, fuit necessaria; qua illæ, de quibus conclamatum videbatur, e stagnante et crassioris sanguinis fluxu liberarentur, et e morte, quæ in media vita fuit, resuscitarentur?

Et profecto facta videbamus, ex hominum memoria longe prægnantissima, amore patriæ quamfelicissime peracta, nunquam satis celebranda; quæ altâ bonis universis mente recondita quiescunt, prospera, Annalibus aliquando posteritatis lætioris egregium exemplar consignanda. Hæc

enim ætas debuit mutata tempora sequi, dissipatasque tenebras, plena exspectationis et sollicitudinis, clara fructuosis in omne ævum eventibus.

Hæc ita se habent, atque, ut in historia est, sic se antiquum tempus, æternum semper gyrum trahens, volvens divitem eventibus orbem, jam bona, jam mala — ut tempus ferebat, ostendens, more suo sese reparavit; ita tamen, ut non eadem etiam rerum interior superesset ratio. His enim, fatemur, parva gratia, et non opus est tantis machinis, quibus insulsa quæ ante videbantur, sine emendatione repetamus. Thucydidem enim nostrum, si bene intelligamus, hoc voluisse credimus : Civitates ita esse constituendas, ut in iis, quæ civium causa adsunt, omnes facultates humanæ ad summum, quem homo potest attinere, gradum perfectionis pervenire facillime possint; ut itaque non fines angustiores, non meta quædam iniquior, non limites scribantur tam definiti, ut non, si quid in illa perfectione profecerit civis, facillime extendi, id est, unicuique momento et temporis et loci et facultatum humanarum adaptari possint; ut uno dicamus verbulo, constitutionem civitatis eam esse debere, ut cum ætatis genio, cum perfectionis ratione simul et unâ pari passu progrediatur. Quod si non fecerit, sive rumpat principum potestatem ipsosque in ruinam detrudat, sive totam civitatem solvat necesse est, e qua ruina salus renascatur. Utrumque in nostris conversionibus videbamus. Et hæc quidem recte sic se habuerunt.

Neque vero eadem est illarum rerum, quas nunc tractamus, ratio. Studia enim artium et scientiæ, semel interrupta, incommoda patiuntur irreparabilia. Quæ in illis amitti-

mus, seu temporum, seu rerum, deperdita in æternum sunt; et civitates, quibus id genus aliquid accidit, in educationis humanæ gradu semper retro manent. Hoc vero ipsum lugemus. Ille enim, qui se rerum fecerat hominumque arbitrum, non nesciebat, tyrannorum studia optatos tum denique videre posse exitus, quando libertatis humanitatisque custodes fuerint ejecti, quam sibi semper vindicarunt provinciam literarum studia; quæ tanquam scintillæ in corpore civitatis animantes, e corpore ademtæ, exanimum reliquerunt. Et quemadmodum cultus animus societates hominum animat, fœcundat, erigit; sic in depresso ac inculto animo semen mortis, seu mors ipsa inest politica. Atque si tyranus ille est, qui libertatem adimit lege concessam civibus, is despota erit inexorabilis, qui colendum animum, id est, conditionem ipsius libertatis recuperandæ interdicit.

Quæ quidem ipsa nostra fuit calamitas. Scientiarum enim cultus, si non vi, tamen, quod pejus, arte et machinationibus diminuebatur, mox delebatur, relictis illis modo illarum generibus, quibus abuti ille dominationis instrumentis potuit (1).

Diu restitit miseriæ communi conficiendæ humani generis salus, ingenuorumque solatium: obstabant illa firmamenta reipublicæ, ornamenta vitæ et virtutum omnium præclarissima lumina tenebris atris. Nondum enim exactæ omnino fuere ingenuæ artes præstantesque scientiæ et cujusque ge-

(1) Operæ pretium esse ducimus legere *Jodoci Heringæ* orationem « De rebus, quæ Academiæ Rheno-Trajectinæ, ipso Rectore, acciderunt prosperis et adversis » publice dictam d. 26 Mart. MDCCCXVI, quam vide in Annalibus Acad. Rh. Traj. anni MDCCCXV—XVI.

neris sacræ disciplinæ : nondum in tot ac celeberrimis locis scholarum egregia instituta esse desierant; continuo adhuc flore hæc alma mater, nutrix summorum vigebat ingeniorum : stabat inconcussa, sospes, antiqua cum sororum Universitatis Lovaniensis lauro coronata sedes.

Sed, eheu! proruit hæc unâque vitæ splendor, religionis fautrix, libertatis vindex, humanitatis decus. Nox erat et misera taciturnitas (1). Matrem mox secutæ filiæ : Collegia, scholæ minores, Gymnasia ceteraque literarum instituta — quibus divitiæ tot fuere censita crimina.

Hæc enim causa erant una ruinæ : fuere vel aliæ, jam supra monitæ — et cadebant illa simul cum civitate — quoniam non mutua fuere ab una alteris auxilia.

Premebat vel vicinas eadem miseria civitates : non vero premebat eadem humaniorum studiorum calamitas. Sic, quod non intus erat auxilium, ab exteris venit, et quod in alieno cœlo astrum fuit, illud in nostram fulgebat, in dies propius, civitatem. Hinc mutata tempora : hinc redux libertatis genius : vis inde unita fortior : recuperata salus. Nova sidera Musæque suaves redierunt in has quoque terras, Guilielmo duce, Rege augusto, pio, felice, artium bonarum Redemtore, liberorumque civium Benefactore. Gaudemus nunc hilares iterum reparata et jam nova, jam congrua cum ætatis genio, literarum salute : atque in eo sumus, ut quæ secundis avibus obtinuimus, haud pingui, ut ajunt, Minerva,

(1) Quamquam non plane defuere fortissimi rerum custodes. Sed veritas pluribus modis infracta; — et rara temporum felicitas, ubi sentire, quæ velis et, quæ sentias, dicere licet. Tacit. Hist. I. 1.

resumtis viribus et alacri animo ipsimet peragamus, remotissimæ profecto metæ, sed fortiores constantia, certius advolantes.

Consuetudinem sequimur aliorum, Lectiones Academicas per hunc primum annum habendas, publice indicaturi.

Itaque habetis, Juvenes lectissimi, singuli quasvis pro suo quisque animo atque studiorum eligendo genere suas; neque cuiquam deerit, eas sibi parare scientias, quibus aliquando, studiis rite peractis, id muneris atque honoris, in civitate sibi a benignissimo Principe deferendi, obtinere eo modo possit, ut officium quodlibet præstet civibus, ejusque inde fructus fiat particeps, quo liberalior eruditio assolet remunerari.

Verum juvat, ni fallimur, hac data opportunitate, adjicere pauca, seu repetere potius, quæ jam summis continentur præceptis regiis.

Nolimus enim credat aliquis, seu persuasum sibi ab aliis habeat, cuncta a se, facultate modo electâ, perfici, quæ sint quodammodo ad vitam honeste transigendam *necessaria*, atque ita, quum tali ratione omnes aliæ qualescunque sint animi exercitationes, quæ non ita plane ad rem pertinere videantur, etiam abs re esse et penitus extra studiorum orbem positæ multis pronuncientur, opella mediocri adhibita, cetera quasi inter ambulandum, nihilo tamen minus cum pulvisculo exhauriri posse ad unum omnia.

Inde fit (etenim omnino malis exemplis imitatores plures, quam optimis quibusque contingunt), ut isti ceteras artes liberales atque disciplinas negligant, ne dicamus, quoniam

acutiores videri volunt, superciliose despiciant. Nihil autem eos moramur, qui tali ratione superbiunt, perquam indigna homine, qui cultioris vitæ gloria frui atque excolendi animi gratia nomen Musis dare in animo habet. Mirum tamen: *Volunt* animum *colere*, vivere *honeste*, in *elegantiorum* et *humaniorum* haberi numero, et hoc vel illud sibi delatum munus *explere*: quod vero, nonne est *asymbolum* venire, ut in Phormione ait TERENTIUS, et *sapere stulte*, et *metam* anhelare ante, quam *in carceribus* fuerint?

Infelix prudentia juris; infausta medicinæ peritia, quæ ingenuas doctrinas a se alienas putat! Literas perdiscite, Græcas non minus atque Latinas, ceteris quoque severioris studii disciplinis imbuti — philosophis, mathematicis, aliis. Historias præsertim populorum, veterum ac recentiorum, eorumque consuetudines, jura, mores, religiones, publicam et privatam vitam et antiquitatum omnia genera perspecta habere debetis, ut in unius vitæ periodo omnium quarumque ætatum sapientiam experiamini: hæc enim animum alunt, colunt, locupletant; hæc veri, pulcri bonique sensum augent, ingeniumque acuunt; quoniam manu quasi vos ducunt in intimam cum rerum publicarum, tum etiam privatarum cognitionem, vobisque non solum præceptorum, sed exemplorum etiam mirabilem quandam copiam largiuntur fontesque aperiunt uberrimos, unde haurire ipsi prudentiam possitis omnem.

Nam velut in corpus quoddam redactum atque inter se multiplicibus vinculis connexum est genus humanum; similia semper redeunt negotia, causæ similes, occasiones eædem; neque res mutantur, sed nos cum tempore mutamur in

illis. Hinc præclare Cicero : « *Omnes*, ait, (1) *gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium, Deus ille, legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernabitur atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, effugerit.* »

Et quemadmodum unum genus humanum, unus Deus, natura eadem, ita una solum est scientia, innumeris ramis, ut arbor, ut genus illud mortalium ipsummet, divisa, ad unum tamen idemque ex singulis partibus totum pertinens. Quam ob rem particulæ quæque radiorum instar circuli, ut veniunt e medio, ita ad medium illud redeant oportet.

Totum illud generis humani, naturæ, scientiæ non conficiunt, qui sunt, sed simul illi, qui erant et futuri sunt. Idcirco in partibus suis non *simul* est, sed oritur *successu temporum*. Habet initia, crescit, extenditur, colitur, perfectionem suam conatur attinere omni ex parte, omnem in partem, et hoc modo completur, conficitur.

Quæ scientia hanc vitam, hunc vigorem in toto ostendit, *Historia* dicitur. Hæc itaque *interiorem* statum rerum, animam mundi, *ideam* toti intuetur. Sed inest quoque alterum in toto, *exterius*, corpus, habitus, *res* ipsa; hanc *Scientia naturalis* contemplatur. Homo — moderator et dominus rerum, sed qui ipse *in* rebus est, ab ipsis sublevatur, ab iis pendet, juxta utramque coli debet, ea quidem normâ, qua utraque sibi respondet.

(1) « Fragm. philos. Tom. XII, p. 285. ed. Bip.

Utraque vero partes suas habet : altera tria naturæ regna, in vario cultus gradu complectitur; altera nationes, gentes, singulos: hi iterum, ut illa et illæ, juxta terram, juxta cœlum, sub quo eam incolunt, iterumque ratione cultus, quem adipiscuntur, sunt diversi. Sic una ex parte naturæ, indoli ejus, partibus, ordinibus, organismo — a lapide ad plantas — ad animalia, ad hominem, animalium perfectissimum; altera vero, ab homine, creaturarum summa simul et media profectus, ipsimet, tempore, loco, cultu, terræque vicissitudinibus vario, operam navare debes. Nominemus nunc scientiam, quam de naturæ virtutibus habemus, *Geologiam*. In eo naturæ studio per classes, per genera, per species, per singulas res, a toto in partes, a summo ad imum descendere conabimur : in *historia* i. e. in studio hominis, omnibus ejus partibus, conditioni, ætati — infantiæ, adolescentiæ, ætati virili, decrepitæ senectuti, ita nationum, quam (dixerim) individuorum, curam et studium tribuemus.

Jam ex humani generis partibus *societates* hominum, pro diversa origine cultuque diversæ, oriuntur, quæ varias item inter eas rationes creant; quas, quoniam ex mutua inter se relatione *civitates* dicuntur, omnes uno verbulo *jure constitutas* dixeris; unde scientia propria oritur *regendarum civitatum*. In qua quoniam sive *ideas*, sive *rem* lubet respicere, seu *Jurisprudentiam* seu *Œconomiam publicam* habebis : conjunctam omnino ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ Græci dixerunt.

Non vero hominis est, perspicere universam simul naturam, universum simul genus humanum. Utrumque per partes conamur : et illam quidem per ætates mundi, per epochas, elementorum pugnis indictas, per rerum vicissitudines, commutationes, conversiones : hoc vero per tempus et spa-

tium — per *Chronologiam* et *Geographiam*, non communem sed erectiorem. Utrumque antiqui philosophematibus, quæ a patre ad natos tradita fuerant, ut potuerunt, consequebantur.

In illa, quæ seu realis, seu idealis, idque simul et *unâ* est, et concordiæ æternæ vinculo conjuncta, *Quantitatem* rerum sive *Gravitatem* omnium — quam in *Physica*, et *Qualitatem* sive *Lumen* illud vivificans habebimus — quod in *Chymia* tractamus. Utrumque sibi junctum (idque in ipsa natura non aliter fieri potest) *Organismum* rerum conficit, qui *Organologia* explicatur et cujus culmen illa ipsa est *Geologia*. Hæc per partes considerata, varias disciplinas offert; eæ enim opera sua continent sive res, quæ organismo carere *videntur* — in *Mineralogia* et *Geognosia*, sive eas, in quibus vita præsens et efficax conspicitur — in *Phytologia* et *Zoologia* eruendas : ulterior in summo gradu versata, *Physiologiam* naturæ, præsertim humanæ, ostendit — quæ fundamentum est *Medicinæ*.

In historica parte Physiologiæ oppositam, non tamen contrariam, obfendimus scientiam, quæ interiorem hominem studio suo adsequi conatur — *Psychologiam*. Hæc per partes cogitata gradusque varios sive *sentientem* hominem — in *Psychologia* (angustiori); sive *adpetentem* in *Ethica*; sive *cogitantem* in *Logica* ostendit. Conjunctæ omnes, si apicem attingunt, *Anthropologiam* præbent : hanc certis regulis, experientia innixis, ideoque humanæ naturæ adaptis, in *Pædagogica* explicabis. In qua, si hominem totum per partes meditationibus subjicimus, tot habemus disciplinas, quot variæ in uno homine vires, facultates, studia : quæ conjuncta diversitatem generis humani, tempore

et spatio cogitati, diversas suppeditant adparitiones — in *Religionis*, *artis*, *scientiæ*, *sermonis* varietate. Has vero eruimus in totidem disciplinis — *Mythologia*, *Æsthetica*, *Philologia*, cum racemationibus quasque suis. Præterea inde et instituta et disciplinæ innumeræ.

Hæc itaque omnia et interiorem simul et exteriorem hominem respiciunt, qualem nimirum in vita experimur et quem cum tota vita congruum cogitamus. Si vero naturam totam, si ordinem et absolutam harmoniam rerum, sine materiæ respectu, sola forma consequi volumus, hoc in *Mathematicis*, i. e. in scientia pura s. absoluta, quæ nempe independens est ab rerum influxu, facimus. Quæ cum absoluta sit, in omnes simul *formales* scientias vim exercet suam, easque ad materiam adhibitas et regit et moderatur.

Altera est hujus studii provincia: abstractum namque ut ut est ab omni materia, nos, qui rerum universitatem, quam nemo nec tempore, nec spatio totam attingere valet, in partes dissecuimus, reducit ad totum, quod non nisi unus complectitur creator, Deus O. M., quem e rerum natura, ex hominum facultatibus, e mirabili creaturarum concentu ostendere conamur in *Theologia*. Si nunc per hæc cuncta et de animi natura et de toto mundo exteriori, inter se congruo, sumus certiores, *Scientiam* assequimur, quam solam PHILOSOPHIAM dixeris. Eam, quia non omnia unus attinere potest, nemo mortalium possidet, ad quam tamen omnes omnibus viribus intentis, naturæ divinioris impulsu, continuo compelluntur.

Interea hoc per partes facimus, quas antiquo usu in Uni-

versitatibus *facultates* nominamus; sed quæ, ut ex iis, quæ diximus, luce clarius est, non *Scientiam* præbere possunt (1).

Quisquis ergo altius gradum ponere et humanioris culturæ discipulum sese nominari et dignum haberi desiderat, qui in hunc lectissimorum juvenum cœtum recipiatur; quicunque, ut verbulo dicam, ita vivere cupit, ut veteribus dignus, ætati suæ amicus fiat, adjutor, fautor, et cujus ipsius præstantia facta vel posteris fausta et optata esse possint: is profecto totam antiquam vitam ex literarum monumentis ac historicorum commentariis desumtam, imbibere et in succum suum ac sanguinem vertere studeat atque, ex illorum quasi societate, amicitia, consuetudine prodiens, viam inveniat ad suam vitam probe instituendam : quam si bene ac rite paratus semel sit ingressus, teneat, consiliumque propositum constanter urgeat ac prosequatur. Hæc insunt in ratione illa sanctissima regis, qua fretus Ille rempublicam literariam fundavit, fundatæque jam prosperitatem sibi gratulatur (2).

Ast qui contraria via, non rarius calcata, ornatioris vitæ expers plane ac rudis, panem inhians, illotis manibus sacras Musarum fores pulsare haud gravatur, atque ne imbutas quidem, nedum perfusas liberalibus doctrinis mentes ad sacra illa adfert; qui absque consilio iter illud, quod ducit ad

(1) Vid. Philosoph. Encyclopæd. von *S. Erhardt.* Freyb. im Breisgau, 1818, in-8°. Conferatur :

Clio, sive de Historia, de Laudibus Historiæ, cet. Dialogi III, auct. *F. J. Dumbeckio.* Bruxellis, 1819, in-8°.; præsertim Dial. I.

(2) Vid. Reglem. op de Inrigting van het hooger Onderwijs in de zuidelijke Prov. van het Koningrijk der Nederlanden, art. 26 sq. 50—54.

sapientiam, molitus, iis in locis, ubi perpetuum sibi domicilium fabricari debuerat, sola deverticula habebat : num talis, quæsumus, in immensos disciplinarum campos evectus, rectum cursum tenere poterit, iterque feliciter, idque fructuosum perficiet ?

Quæ cum ita se habeant, Juvenes amatissimi, hoc agite, ut persuasum vobis habeatis, intimam esse concordiam atque junctissimum quarumque inter se licet diversissimarum artium et disciplinarum nexum : deinde, ut ab intelligentibus magistris ducti eas primum vobis artes comparetis, quibus sine nullum gravius scientiæ genus stare rite potest ; tum vero, variis pro vitæ conditione, cui vosmet ipsi devovistis, doctrinæ studiis, morumque præceptis percolere animum adnisi, finem certum vobis præfigatis, ad quem dirigatis, quo referatis omnia vestra studia.

Et jam adeste, mox cives Academici, alacriter ad Universitatis hujus, celebratissimæ quondam, denuo creatæ, exedras convoletis, atque generosa et nobili concertatione ea vitæ conemini ornamenta adipisci, quæ vobis proponentur præclarissima et maxima. Nulla enim ratione certius vos probari Patriæ Patri, Principi optimo, Guilielmo Regi atque Principi heredi potueritis, quos Deus Optimus Maximus omni felicitate cumulatissime auctos velit sospitari!

IV.

SERIES PRAELECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI,

PER UNIVERSUM ANNUM MDCCCXVII—MDCCCXVIII,

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR

RECTORE MAGNIFICO,

INDE A DIE III NOVEMBRIS HABITATARUM.

SERIES PRAELECTIONUM
IN ACADEMIA LOVANIENSI,

PER UNIVERSUM ANNUM MDCCCXVII-MDCCCXVIII, FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR, RECTORE MAGNIFICO, INDE A DIE III NOV. HABITATARUM.

TEMPORE HIBERNO.

PRAELECTIONES ORDINIS MEDICORUM.

PROFESSORES ORDINARII.

FR. J. HARBAUR omni die *Exercitationes clinicas* medico-chirurgicas in nosocomio civium moderatus est, hora quidem IX matutina.

C. FR. JACMART diebus Lunæ, Mercurii et Veneris hora XI *Materiam medicam* : diebus Martis, Jovis, Saturni eâdem hora *Medicinam forensem* atque *Diæteticam* profitebatur.

G. J. VAN GOBBELSCHROY hora V diebus Lunæ, Martis, Mercurii *Physiologiam* : diebus Jovis et Veneris *Pathologiam* docebat.

PROFESSORES EXTRAORDINARII.

J. J. VANDERTAELEN, hora II, diebus postea ad valvas indicatis *Practicum medicum* instituit; atque simul cum

8.

Fr. J. Harbaur ac *Fr. M. Baud*, *Exercitationes clinicas*, ut externas, ita internas habuit in nosocomio.

FR. M. BAUD omnibus diebus, hora III, *Anatomiam* docebat. Rursus, cum *Horbauero* atque *Vandertaelen clinicis* lectionibus habendis interfuit.

Quæ quidem Exercitationes clinicæ æque in magno nosocomio *militari* ac *civium* locum habuere.

PRAELECTIONES JURECONSULTORUM.

X. JACQUELART diebus Jovis, Veneris, Saturni, hora XI, *Institutiones Juris Romani* explicuit : diebus vero Jovis et Veneris h. III *Exercitationes Juris practici* habendas obtulit.

J. PH. DE BRUYN cunctis diebus, hora X, *Pandectas* docebat; diebus Lunæ et Mercurii, h. III, *Jus naturæ et gentium* tradidit.

H. F. DECOSTER sexies per septimanam *Jus civile hodiernum* (Gallice) dedit; diebus vero Martis et Saturni, hora III, *Jus publicum* professus est.

FR. M. BIRNBAUM diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, hora VIII matut. *Jus criminale;* eâdem hora, diebus Martis et Jovis *Historiam Europæ politicam* tradidit.

LECTIONES ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

J. F. SENTELET diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, *Physicam experimentalem et mathematicam;* diebus Mercurii et Veneris, eâdem hora, *Astronomiam physicam* et *Œconomiam ruralem* instituit (vernaculo sermone).

J. B. J. A. J. VAN MONS diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, hora X, *Chymiam generalem et specialem;* diebus Martis et Jovis eadem hora, *Chymiam technicam* dedit (vernacule): Super *Materia Pharmaceutica* atque *Pharmacia*, tum *Theoretica*, tum *Practica* diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI habuit lectiones.

J. GOEBEL diebus Martis, Jovis et Saturni, hora VIII, *Mathesin elementarem; Elementa Arithmeticæ* et *Algebræ* atque *Æquationes biquadratas* tradidit. *Geometriam*, *Trigonometriam*, *Polygonometriam;* etiam *Theoremata linearum curvarum* diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris, hora IV, auditoribus proposuit.

F. J. ADELMANN diebus et horis postea indicatis *Mineralogiam* et *Zoologiam*, una cum *Anatomia comparata* explanavit.

LECTIONES AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERARUM HUMANIORUM INSTITUTAE.

J. B. Liebaert diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, hora IX; item diebus Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Logicam* cum *Metaphysica* docebat.

Fr. J. Dumbeck diebus Lunæ, Martis et Mercurii hora IV pomeridiana, *Geographiam antiquam* atque *Historias veterum populorum* narravit : iisdem diebus hora V, *Historiam* et *Antiquitates Romanas* exposuit. Porro diebus Mercurii, hora X; Jovis vero et Veneris hora III, *Historias Herodoteas* auditoribus explanandas sibi proposuerat.

G. J. Bekker diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora VIII, *Ciceronis Epistolas ad familiares* interpretatus est. Die Jovis et Veneris hora VIII, scholas habuit super *Antiquitatibus Græcis* (ad *L. Bosii* Antiqq. Gr. ed. noviss.) : tum iisdem diebus, hora III, *Præcepta Grammaticæ Græcæ*, gravioribus præcipue et litigiosioribus Syntaxeos capitibus accuratius pertractatis tradidit; denique *Homeri Odysseam* atque *Hymnos Homericos* die Saturni hora VIII et III explicuit.

St. Heuschling diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Positiones elementares Juris naturæ* ex Ontologia et Psychologia depromtas dictare, atque, quidquid in scriptis *Aristotelis ad Logicam*, *Dialecticam et Metaphysicam* proxime spectat, interpretari; tum *Tragœdias aliquot*

Sophocleas et Euripideas exponere in animo habuit. Denique explicavit, præmissis præceptis Grammaticæ Hebrææ, Syriacæ, Chaldaicæ et Arabicæ, *libros Genesis* et *Psalmos* nonnullos.

A. Ten Broecke Hoekstra *Linguæ Belgicæ Grammaticam* et *Marlandi poëma Flandricum* (quod Spiegel historial inscribitur) eum simul in finem dedit, ut tam verba obsoleta illustraret, quam proxime idiomatis Flandrici analogiam cum Belgico demonstraret, diebus Lunæ, Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora II.

TEMPORE AESTIVO.

IN ORDINE MEDICO.

HARBAUR, Prof. ord. præter *Exercitationes clinicas* diebus horisque postea indicatis *Artem obstetriciam* et lectiones de *Morbis oculorum curandis* dedit.

JACMART, Prof. ord. *Materiam medicam* continuavit; diebus etiam Martis, Jovis et Saturni hora XI, *Medicinam forensem* tradidit.

VAN GOBBELSCHROY, Prof. ord. *Physiologiam* et *Pathologiam*, tempore jam indicato, continuavit.

VANDERTAELEN, Prof. extraord. inchoatas *Lectiones* noto tempore ad finem perduxit.

BAUD, Prof. extraord. omni die, hora III lectiones *Chirurgicas* habuit.

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

JACQUELAERT, Prof. ord., *Lectiones* supra indicatas confecit.

DE BRUYN, Prof. ord. diebus et horis indicatis, *Pandectas* continuavit.

De Coster, Prof. ord. *Jus civile hodiernum* continuavit atque die Martis et Saturni *Rem diplomaticam* enucleavit.

Birnbaum, Prof. ord., præter *Jus criminale*, tempore indicato lectiones super *Statistica* habendas indixit.

IN ORDINE DISCIPL. MATH. ET PHYSICARUM.

Sentelet, Prof. ord. Lectiones supra indicatas, eodem tempore continuavit.

Van Mons, Prof. ord. notis diebus *Chymiam Technicam* et *Materiam Pharmaceuticam* continuavit, atque die Saturni, hora X, *Œconomiam ruralem*, quæ quidem ad *rem hortensem* pertinet, explicuit.

Goebel, Prof. ord. *Mathesi elementari*, diebus Lunæ, Mercurii et Veneris *Mathesin sublimiorem* et *Theoremata mathemat. in usum Astronomiæ* adjecit.

Adelmann, Prof. ord. iisdem horis et diebus, ac antea, *Botanicen* ac *Physiologiam Plantarum* dedit.

IN ORDINE PHILOS. ET LIT. HUMANIORUM.

Liebaert, Prof. ord. *Metaphysicæ* continuandæ diebus Martis, Jovis, Saturni, hora II *Ethicam* addidit.

Dumbeck, Prof. ord. præter *Antiquitates Romanas*, *Historiam medii ævi* diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora IV narravit, atque diebus Mercurii h. X. Jovis et Veneris

h. III *Historiam* cum *Antiquitatibus Hebræorum* explanandam instituit.

Bekker, Prof. ord. diebus Lunæ, Martis et Mercurii, h. VIII *Ciceronis Orationes pro Archia*, *Milone*, *Lege Manilia* interpretatus est atque simul auditores in Latine scribendo exercitavit : diebus Jovis et Veneris h. III, Saturni h. VIII et III *Xenophontis Memorabilia Socratis*, cum exercitationibus Græce scribendi, exposuit.

Heuschling, Prof. ord. Scholas super *Literatura Orientis* continuans, *Daniel* et *Esram* Chaldaice ; *N. Testam.* et *Carmina Ephraim Syri* Syriace, *Adagia Arabica*, *Fabulas Locmani* et partem *Alcorani* Arabice interpretandas indixit, horis et diebus supra prolatis.

Ten Broecke Hoekstra, Prof. ord. diebus Lunæ, Martis et Veneris *Historiam Patriam* explicuit.

Jacotot, Lector Academicus *Literaturæ Gallicæ* explanandæ operam dedit, omnibus diebus, h. vero VI.

V.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

IN ACADEMIA LOVANIENSI,

MENSE MARTII MDCCCXVIII PUBLICE INDICTI.

9

PROGRAMMA CERTAMINIS LITERARII,

IN ACADEMIA LOVANIENISI,

MENSE MARTII MDCCCXVIII PUBLICE INDICTI.

QUOD DEUS O. M. BENE FAXIT!

LECTISSIMIS STUDIOSIS ADOLESCENTIBUS,

QUI IN QUALICUNQUE UNIVERSI BELGII

ACADEMIA

ALICUI LITERARUM GENERI OPERAM NAVANT,

S. P. D.

RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ LOVANIENSIS;

Simulque iis ex Augustissimi Regis Decreto, præmiis inito *Certamine Literario* elargiendis quæstiones a singulis Ordinibus Academicis propositas palam fieri vult.

Quoniam vero primus hic noster a reparata Universitate annus Academicus, faustis auspiciis licet nonnisi a Nonis Novembribus a. MDCCCXVII inceptus, cum ipsis Calendis Augustis a. MDCCCXVIII finietur, noluit quidem Senatus differri longius offerrendas hasce quæstiones, ut tamen nihilominus ante mensem Augusti a. MDCCCXIX responsa non peteret, ne angustioribus temporis spatiis premerentur ii, qui ad paratum certamen sese accingere voluerint.

Responsa itaque, *Oratione Latina*, *manu aliena*, nitide scribenda et ante Idus Julii a. MDCCCXIX, *auctorum sumtibus*, ad Clar. Professorem, qui tunc Senatui Academico a secretis erit, mittenda sunt, observatis iis, quæ art. 143, 146, Decreti Regii jubentur (dati XVII Calend. Septembr. a. MDCCCXVI, nº 65). Victores præmio ornabuntur d. III Nonas Octobres ejusdem anni, quo Rector Magnificus, denuo creatus, Magistratum est auspicaturus.

Ab Ordine Medicorum hæc nobis tradita sunt, quæ promulgaremus : Quæritur

Functionis hepatis expositio, et quidem primo ex propria sua constructione; deinde ex relatione sua cum aliis corporis humani partibus, data simul explicatione utilitatis in œconomia animali illius quidem productionis, quam bilem vocant, quamque multi adhûc, qui medicam artem tractant, tanquam inimicissimam corporis materiam insequuntur.

Ab Ordine Disciplinarum mathematicarum et physicarum, postulatur :

I.

Ut explicetur aptisque illustretur exemplis, qua ratione analysis combinatoria ad resolvendas æquationes adhiberi possit.

II.

Quæritur : *Quid in corporibus, generatim sumtis, possimus cognoscere, quid non possimus : quis proinde sit scopus, quem physices studiosus sibi propositum debeat habere.*

III.

Quorsum disciplina, quæ circa methodum, rationes partium corporum chymicarum perpetuas investigandi, versatur, Chymiæ, quæ quidem hodie est, profuerit? Quænam sint disciplinæ leges et quæ methodus, investigationem illam prosequendi, ceteris anteponenda? Addantur specimina quædam e corporum mixtione simpliciori desumta.

Ordo Philosophiæ theoreticæ et Literarum humaniorum ex Historia, Geographia et Antiquitatibus Patriæ quæstionem proponere studio comilitonum voluit: postulat itaque:

I.

Ut componatur Geographia Pagorum *illarum vetustæ Germaniæ regionum, quæ inter Scaldis et Mosæ flumina sitæ fuere; ita ut appareat, qualis fuerit habitus et conditio, finito maxime sæculo post Chr. n. X ad XII, ejus quidem tractus, qui nuncupatis fluviis et Oceano Germanico continetur, et quondam ad Magnum Ducatum Ripuariorum pertinuit, ductâ nimirum pro meridionali termino e regione Scaldis fluvii scaturientis versus Orientem lineâ.*

Jubentur studiosi juvenes, describere horum pagorum, ita *majorum*, quam *minorum*, *fines* et *limites;* recensere palatia, oppida, arces et villas, quæ tum fuere insigniores, designare montium tractus, aquarumque decursus; exhibere eorum non minus ac locorum omnium vestuta et obsoleta nomina cum recentioribus et hodiernis comparata, data simul notitia antiquorum monumentorum, quæ aut hodienum conspiciuntur, aut quorum facta est apud diversos

LECTIONES AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERARUM HUMANIORUM INSTITUTAE.

J B. Liebaert diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, hora IX; item diebus Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Logicam* cum *Metaphysica* docebat.

Fr. J. Dumbeck diebus Lunæ, Martis et Mercurii hora IV pomeridiana, *Geographiam antiquam* atque *Historias veterum populorum* narravit : iisdem diebus hora V, *Historiam* et *Antiquitates Romanas* exposuit. Porro diebus Mercurii, hora X; Jovis vero et Veneris hora III, *Historias Herodoteas* auditoribus explanandas sibi proposuerat.

G. J. Bekker diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora VIII, *Ciceronis Epistolas ad familiares* interpretatus est. Die Jovis et Veneris hora VIII, scholas habuit super *Antiquitatibus Græcis* (ad *L. Bosii* Antiqq. Gr. ed. noviss.) : tum iisdem diebus, hora III, *Præcepta Grammaticæ Græcæ*, gravioribus præcipue et litigiosioribus Syntaxeos capitibus accuratius pertractatis tradidit; denique *Homeri Odysseam* atque *Hymnos Homericos* die Saturni hora VIII et III explicuit.

St. Heuschling diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Positiones elementares Juris naturæ* ex Ontologia et Psychologia depromtas dictare, atque, quidquid in scriptis *Aristotelis ad Logicam, Dialecticam et Metaphysicam* proxime spectat, interpretari; tum *Tragœdias aliquot*

Sophocleas et Euripideas exponere in animo habuit. Denique explicavit, præmissis præceptis Grammaticæ Hebrææ, Syriacæ, Chaldaicæ et Arabicæ, *libros Genesis* et *Psalmos* nonnullos.

A. Ten Broecke Hoekstra *Linguæ Belgicæ Grammaticam* et *Marlandi poëma Flandricum* (quod Spiegel historial inscribitur) eum simul in finem dedit, ut tam verba obsoleta illustraret, quam proxime idiomatis Flandrici analogiam cum Belgico demonstraret, diebus Lunæ, Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora II.

TEMPORE AESTIVO.

IN ORDINE MEDICO.

HARBAUR, Prof. ord. præter *Exercitationes clinicas* diebus horisque postea indicatis *Artem obstetriciam* et lectiones de *Morbis oculorum curandis* dedit.

JACMART, Prof. ord. *Materiam medicam* continuavit; diebus etiam Martis, Jovis et Saturni hora XI, *Medicinam forensem* tradidit.

VAN GOBBELSCHROY, Prof. ord. *Physiologiam* et *Pathologiam*, tempore jam indicato, continuavit.

VANDERTAELEN, Prof. extraord. inchoatas *Lectiones* noto tempore ad finem perduxit.

BAUD, Prof. extraord. omni die, hora III lectiones *Chirurgicas* habuit.

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

JACQUELAERT, Prof. ord., *Lectiones* supra indicatas confecit.

DE BRUYN, Prof. ord. diebus et horis indicatis, *Pandectas* continuavit.

De Coster, Prof. ord. *Jus civile hodiernum* continuavit atque die Martis et Saturni *Rem diplomaticam* enucleavit.

Birnbaum, Prof. ord., præter *Jus criminale*, tempore indicato lectiones super *Statistica* habendas indixit.

IN ORDINE DISCIPL. MATH. ET PHYSICARUM.

Sentelet, Prof. ord. Lectiones supra indicatas, eodem tempore continuavit.

Van Mons, Prof. ord. notis diebus *Chymiam Technicam* et *Materiam Pharmaceuticam* continuavit, atque die Saturni, hora X, *Œconomiam ruralem*, quæ quidem ad *rem hortensem* pertinet, explicuit.

Goebel, Prof. ord. *Mathesi elementari*, diebus Lunæ, Mercurii et Veneris *Mathesin sublimiorem* et *Theoremata mathemat. in usum Astronomiæ* adjecit.

Adelmann, Prof. ord. iisdem horis et diebus, ac antea, *Botanicen* ac *Physiologiam Plantarum* dedit.

IN ORDINE PHILOS. ET LIT. HUMANIORUM.

Liebaert, Prof. ord. *Metaphysicæ* continuandæ diebus Martis, Jovis, Saturni, hora II *Ethicam* addidit.

Dumbeck, Prof. ord. præter *Antiquitates Romanas*, *Historiam medii ævi* diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora IV narravit, atque diebus Mercurii h. X. Jovis et Veneris

ne trouverait sa récompense dans son cœur, et devant Dieu, qui seul est le véritable juge de nos actions.

L'homme est né pour le travail; il a eu en naissant sa portion de talens, qu'il doit développer, augmenter et employer utilement. Armez-vous donc, Messieurs, de courage, de patience, mais surtout d'une grande abnégation de vous-mêmes; car les plus belles de vos actions seront quelquefois méconnues, et où trouverez-vous la force de continuer à vous sacrifier, si ce n'est dans votre propre conscience, dans cette satisfaction céleste d'avoir bien fait?

Nous avons un exemple sublime devant nos yeux, Messieurs! Voyez ces sœurs respectables, avec quelle activité religieuse elles savent suppléer autour du malade aux imperfections du local; voyez cette résignation douce et constante! et je vous le demande, en quel état trouvez-vous ce degré de vertu sans le prestige de brillantes récompenses mondaines?

Cette bienveillance non-interrompue envers les malheureux malades, dont elles nous donnent l'exemple, est une des premières qualités morales du vrai médecin. Respect donc à ces sentimens pieux qui produisent un effet si salutaire pour le pauvre souffrant, et malheur à celui qui pourrait jamais les affliger par la moindre inconvenance! Il serait indigne d'appartenir à cet état, à jouir de cette confiance sans borne, qui enlève souvent au malade la plus pénible partie de son mal.

V.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII,

IN ACADEMIA LOVANIENSI,

MENSE MARTII MDCCCXVIII PUBLICE INDICTI.

9

tal. Ils seront toujours rentrés avant huit heures du soir, pour ne plus sortir ce jour, et ils rédigeront déjà le soir leur rapport sur tout ce qui s'est passé pendant le jour.

4°. Ils s'habitueront à une grande aménité et douceur dans l'exercice de leurs fonctions tant envers les malades qu'envers leurs alentours, de manière que toutes leurs actions annoncent cette bienveillance, qui caractérise le bon Médecin, et qui n'abandonne jamais l'homme d'une éducation honnête.

5°. Nul ne sera admis à fréquenter les cours de Clinique avant d'avoir passé les premiers examens et d'être proclamé Candidat de la Faculté de Médecine, enfin avant d'avoir fait suffisamment des études théoriques, pour éviter que notre Clinique ne devienne une école de routiniers empiriques.

Louvain, ce 5 Juin 1818.

VII.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

SEU PUBLICE SEU PRIVATIM DEFENSARUM.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

SEU PUBLICE,

SEU PRIVATIM DEFENSARUM.

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

ANNO MDCCCXVIII DIE XXI JULII.

Dissertatio « De modis, quibus ususfructus amittitur atque — Des demandes en nullité de mariage, » auctore Ludovico GOOSSENS, *Thenensi.*

D. XXIII JULII.

Dissertatio circa Tit. « Depositi vel contra et — Des Successions irrégulières, » auctore Henrico Vincentio Josepho THYRION, *Nandrino-Leodiensi.*

D. XXV JULII.

Dissertatio « De Rebus creditis sive de mutuo et — Du domicile, » auctore Jo. Baptista Ant. Francisco DUFOUR,

ex Barbençon, judice ped. ad trib. quod Sonegiis in prov. Hanoniæ est.

D. XXVII JULII.

Dissertatio circa Tit. « Pro Socio, et art. 747 Cod. Civ. — Succession exclusive des adscendans aux choses par eux données, » auctore Ferdinando PREVOST, *ex Templeuve Hannoniæ.*

D. XXVIII JULII.

Dissertatio « De Legitimis, Codice Gallico liberis, etc. concessis, » auctore Henrico MARCELIS, *Lovaniensi.*

D. XXIX JULII.

Dissertatio circa Tit. « Mandati vel contra et — Des effets de l'absence relativement aux droits éventuels, qui peuvent compéter à l'absent, » auctore Petro MUSCH, *Bruxellensi.*

D. XXX JULII.

Dissertatio « Des Qualités requises pour succéder, et — De Transactionibus, » auctore Thoma Josepho VERVLOET, *Mechliniensi.*

EODEM DIE.

Dissertatio « De Adoptione, » auctore C. BLARGNIER, *Montensi,* Collegii Athensis nuper Rhetorices Professore.

D. XXXI JULII.

Dissertatio « De Emtione et Venditione, » auctore Jo. Thom. Vinc. SPINEUX, *Leodiensi.*

D. I AUGUSTI.

Dissertatio circa Tit. « Commodati vel contra » atque circa art. 112 incl. 134 Codicis civ. auctore FELICE DELECOURT, *Montensi*.

IN ORDINE MEDICORUM.

D. XVIII JUNII.

Dissertatio « De Cataracta, » auctore ANTONIO GERARDO VAN ONSENOORT, *Ultrajectino*, in magno Nosocomio militum, quod cum Academia Lovaniensi conjunctum est, primæ classis Chirurgo (pro Doctoratu Medicinæ ac Chirurgiæ). Dissertationis exempla duo, alterum Latino, alterum Gallico sermone consignatum, in actis sunt manu scripta, neque vero typis impressa, quæ quidem licentia ipsi à Colleg. Curat. concedebatur (Dissertatio postea impressa prodiit, sermone Batavo exarata).

D. VII JULII.

Hic ordo ex potestate sibi per art. 40 Statutor. Reg. § 3 concessa, gradum Doctoris Artis Pharmaceuticæ contulit PETRO SIGISBERTO DAM *ex Zundert* majori, Medicinæ jam antea Doctori.

IN ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. XXVII JULII.

Ordo pro sua in hisce rebus facultate viro doctissimo FRANC. JOSEPHO ADELMANN, Disciplinar. mathem. et phys. Professori p. o., collegæ humanissimo, propter insignia illius viri merita, Diploma Doctoris Philosophiæ etc. comprobante Senatu ultro misit.

VIII.

ACTA

IN SENATU.

ACTA IN SENATU.

I.

POSTRIDIE CAL. NOVEMBRES MDCCCXVII

Senatus frequens

Ordinem in Senatu habendo servandum perscripsit, eumque tanquam normam perpetuam Actis Academicis inserendum jussit.

II.

XII A. CAL. JUNIUS MDCCCXVIII

Senatus Academicus justus

Legem jussit, qua studiosi juvenes, gradum Doctoris expetentes, examinari, isque gradus conferri deberet; cujus quidem legis, novæ consultationi subjectæ, VII Idus Junii probationem SCto edixit.

III.

XV A. CAL. AUGUSTAS MDCCCXVIII

Senatus frequentissimus

Ex mente art. 184 Statutorum Regiorum ad eligendum novum in annum sequentem Academiæ Rectorem Magnificum procedebat atque, re rite peracta, senarium ex Academiæ ordinibus, quos ille honor attinuit, numerum amplissimorum

virorum literis consignavit atque ad Augustissimum Regem nostrum quamprimum voluit mittendum ab iis, quibus Universitatis cura est mandata et quorum hæc, lege monente, provincia est.

Jam vero Senatorum unus, luculentis hujus rei argumentis innixus, legem rogavit, qua idem ille, qui per hunc annum Rectoris munere esset functus, Principe probante, in proximum quoque annum, prorogaretur.

Ibant in suffragia Senatus socii, placuitque *plurimis,* ut ea quoque sententia, simul cum altera, ad munificentissimum perferretur principem.

IX.

FRANCISCI JOSEPHI HARBAUR

ORATIO

PUBLICE DICTA,

CUM DIE III OCTOBRIS MDCCCXVIII

RECTORIS MAGNIFICI

MUNUS DENUO IN SE RECIPERET.

FRANCISCI JOSEPHI HARBAUR

ORATIO

PUBLICE DICTA, CUM D. III OCTOBRIS MDCCCXVIII.

RECTORIS MAGNIFICI MUNUS

DENUO IN SE RECIPERET.

Academiæ Lovaniensis Curatores, Viri illustrissimi, amplissimi!

Qui in regione et civitate Lovaniensi vel rebus publicis administrandis, vel juri dicundo præestis, Viri gravissimi, integerrimi!

Quarumlibet disciplinarum Professores clarissimi, Collegæ conjunctissimi, suavissimi!

Quibus cura sacrorum litandorum est demandata, Viri plurimum venerandi!

Academiæ Lector, Vir amplissime!

Artium et Disciplinarum quarumlibet Doctores consultissimi!

Ornatissima studiosorum juvenum corona, spes Patriæ et Principis, Parentum amor, nostra cura et deliciæ!

Cives, Hospites, quotquot adestis, suo quisque loco, humanissimi, spectatissimi!

Ex Codicis præscripto, quo Academiæ, per has provincias fundatæ, sunt regendæ et administrandæ, Rectori munus est injunctum, in dignitate ad successorem transmittenda oratio-

nem publice habendi, quæ Academiæ Annalibus inseratur. Et contineri quidem ex iisdem legibus illa oratione debet brevis enarratio eorum, quæ anno peracto acciderint, cui jungenda est præcisa de Professoribus omnibus, deque iis, quæ facta ab illis sunt, notitia. Licet nunc volente Senatu Academico in annum insequentem, Rege augustissimo comprobante, mihi iterum sit Rectoris munus impositum, neque ego propterea illud possim jam in alium transferre, debere tamen me illud existimavi, et Principi benignissimo et vobis, Curatores amplissimi, Collegæque æstumatissimi, et mihi demum ipsi, ut de Academiæ nostræ institutione, quæ adhuc nos omnes occupatos tenet, hac mea qualicunque oratione vobis breviter rationem reddam.

Equidem optime perspicio legis nostræ sententiam, quæ præcipit orationem Latinam in Aula Academica publice esse a Rectore habendam, etiam illam fuisse, ut datâ hac opportunitate oratio habeatur, omnibus numeris absoluta, quæ digna sit, ut exemplum proponatur, digna item Academiâ, cui per anni spatium Rectoris munere erat præfectus, cujusque vices agere solemni hoc momento debet; sed ingenue profiteor eloquentiæ meæ mediocritatem, quâ fieri vix potest, ut provincia hæc gravissima eademque difficillima juste à me administretur.

Quocirca me in iis, quæ adhuc facta sunt, simpliciter enarrandis hodie continebo; utque ex iis ipsis ultra apparebit, quæ facienda nobis restent, quantumque adhuc ab optato perfectionis fastigio simus remoti. Quæ tamen res cum nec à Rectoris munere, quo fungor, neque a vestris consiliis mihi videatur abhorrere, vos etiam atque etiam rogo, ut rebus à me narrandis æquo animo adsitis, dicentique mihi benevolas velitis aures præbere.

Constat inter omnes, Auditores honoratissimi! quantum annis proxime elapsis, qui ob rerum, quæ iis accidebant, varietatem et gravitatem, sæculis possunt simillima haberi, quantum, dico, his annis et cogitandi et vivendi ratio sit immutata. Etenim profecto in nullam aliam ætatem antiquum illud proverbium : tempora mutantur, et nos mutamur in illis, magis cadebat, quam in quatuor lustra proxime abhinc elapsa. Atque illa ipsa rapiditas, qua res fere omnes videbamus immutari, inter alia mihi potissimum esse in caussâ videtur, quod paucissimi tantum homines, quæ fiunt, rite dijudicare atque æstimare intelligant; quod alii plurimi in constituendis rebus atque ordinandis plane immemores sint antiqui illius : Non uno die stetisse Corinthum, et cujusque rei initium esse difficillimum : longe autem, equidem opinor, difficilius est, rem antiquam, eamque obsoletam denuo instaurare.

Precibus impensissimis earum urbium, quæ Academiam aliquam sibi jure vindicare posse arbitrabantur, rite et accuratius perpensis, Lovanio inprimis erat necessario satisfaciendum; cum propter jus antiquissimum, tum ob famæ gloriam juste sibi comparatam, et ob majorem subsidiorum commoditatem, quæ ex antiquo instituto supersunt. Et revera pulcherrima usuique nostro aptissima ædificia sunt conservata (1) : maxima item reperiebatur librorum copia, quibus plurima rariora eaque pretiosissima opera et aliquot an-

(1) Alia quoque, quæ necessaria videbantur, antiquis addita. Sic Collegium Præmonstratensium Ordini discipl. math. et physicarum, etiam Collegium, quod dicitur, regium rebus ad historiam naturalem necessariis, decreto Curatorum (3 Junii 1818) attribuebatur : item Collegium Veteranorum usui Universitatis reservabatur.

tiqui codices manuscripti continentur, quæ haud spernendum Bibliothecæ Academicæ principium constituunt.

Neque tamen in iis, quæ aderant, videbatur esse adquiescendum. Et numerus librorum, tam antiquis quam recentioribus omnibus linguis consignatorum, quos munificentia Regis adjuti ex omnibus Europæ partibus huc arcessivimus, tantus est, ut antiquum Bibliothecæ spatium non amplius sufficiat, sed alii essent aliquot œci circumspiciendi, in quibus maxima eorum pars collocaretur. Jam vero à secundo anni scholaris semestri aditus quoque tam Professoribus quam literarum studiosis patebat ad ea opera, quæ illorum studia possent sublevare.

Quæ cum vobis expono, Auditores honoratissimi, meum esse existimo, Academiæ nostræ nomine publice gratum animum testificari collegis illis, qui indefesso labore suisque rebus commodisque posthabitis, libris antiquis, qui promiscue erant undique dispersi aut coacervati, et separandis et disponendis voluerunt præesse. Bibliothecæ autem alicujus constituendæ et ordinandæ opus cum tam arduum tamque difficile sit, ut uno alterove anno absolvi nequeat, rogamus eosdem, ut negotium illud, labore tædioque plenissimum, anno insequente eadem assiduitate continuare non recusent. Quod vero attinet ad externa subsidia earum Facultatum, quibus hæc sunt necessaria, Princeps noster munificentissimus ea omnia nobis largissime concessit, quæ ad optimam institutionem requiruntur. In iis quidem Facultatibus præcipuæ sunt Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, et Artis Medicæ. Pro hac autem nobis jam hic suppetebant ædificia anatomicis demonstrationibus destinata,

quæ nec pulchriora, nec magis idonea per universam Europam inveniuntur; nec impensius unquam studium hujus partis, nec laborem in ea magis assiduum in ulla Medicinæ schola quis viderit, quam eum, quem anni tempestate huic rei propriæ, impendebant et Professores clarissimi et Prosector experientissimus et artis sanandi studiosi.

Accedit instrumentorum chirurgicorum, quæ denuo comparavimus, egregia collectio; splendidum illud Nosocomium (1) militare, quod Rex augustissimus hic collocavit, ornatum hominibus in singulis Artis Medicæ partibus præstantissimis, quo Academica constitutio et redderetur facilior, et ampliorem campum nancisceretur: civile item Nosocomium, ubi clinicæ institutiones et exercitationes jam auspicatæ sunt quinta die Junii, nulla quidem habita ratione innumerarum difficultatum, quas et errores hinc inde sparsi et opiniones præjudicatæ nobis objecerant, nulli prætereamus. Addendum denique est Artis Obstetriciæ institutum, quod nobis jam est concreditum, et ubi scholæ et theoreticæ et practicæ cum hoc anno scholari inchoabuntur. Quibus omnibus si rite utamur, merito nobis sperare licet, fore ut Medicinæ Facultas aliarum Academiarum nulli cedat locum.

Pro Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Facultate (fatendum est) paucissima solummodo subsidia ex antiquis temporibus supererant. Attamen Laboratorium Chymicum, nuper admodum Franco-Gallorum tempore institutum, licet non splendidissimum, bonum tamen idoneumque est, et cum iis, quibus viri in hac arte celeberrimi utuntur, fa-

(1) Quod regio decreto cum nosocomio civium in usum nempe Medicinæ studiosorum conjungebatur (6 Jan. 1818, nº 55).

cile comparandum: ubi instrumentis et utensilibus, quæ anno elapso doctissimi nostri hujus disciplinæ Professoris jussu emebantur, exercitationes omnes ad instituendum necessariæ commode possunt haberi. Nunc vero liberalissimus Princeps ad ea, quæ publice sunt utilia, semper paratissimus, subsidiis idoneis necessitati nostræ succurrit, et jam in manibus est præclara instrumentorum collectio (1). Item à Rege ipso jussi sunt plures viri celeberrimi, ut Museum rerum naturalium nobis compararent (2); quæ res optima quæque sperare nos jubet. Transeam præstantissimam illam animalium, præcipue Avium rariorum collectionem, quâ donavit Rex Augustissimus Academiam nostram, et quæ Musei nostri egregium erit ornamentum.

Atque præter externa hæc subsidia, quibus jam gloriamur, summa pecuniæ haud exigua unicuique Facultati in singulos annos est destinata, quâ Bibliotheca reliquaque instituta sustentarentur, augerentur, et perfectiora usque existerent.

Quod denique rationem attinet, qua singuli Professores officio sint functi, libere mihi dicendum est, vix unquam reperiri ullam societatem virorum, sibi muneris vinculo junctorum, cujus singuli majori desiderio ardeant benefaciendi, et provincias sibi concreditas cum laude administrandi.

Negari quidem illud minime potest, in externis aliquot rebus subinde nos minus severos extitisse; sentientes nimi-

(1) Decreto Ministr. 27 April. 1818 dato, n° 204.

(2) Collectionem nempe Avium et Mammiferorum, aliamque ad Mineralogiam et Geologiam necessariam, id quidem regio decreto, quod nobiscum communicavere Curatores, viri ill. d. 2 Apr. 1818.

rum omnes, primo anno parum strenue cum discipulis esse agendum. Atque ex hac ipsa ratione illustrissimum Curatorum collegium, quotiescunque ipsi hujus rei preces à discipulis exhibitæ sunt, quæ testimoniis studiorum, ceteroquin cum assiduitate et successu peractorum, confirmari poterant, veniam dare existimavit, in examinibus loco Latini sermonis vernaculo utendi: cujus similis indulgentiæ, quod sciamus, vix ulla in alia Academia exstat exemplum.

Hac eadem ratione ducti Professores, medicæ potissimum Facultatis, discipulis, qui timidiores in Latine respondendo videbantur, permittebant, animi sensa, aut Gallice aut Belgice aperire; quæstionesque ipsas vernacula sæpius repetebant Lingua.

Quam indulgentiam, quæ nimia fortasse alicui visa fuerit, necessariam nos quidem duximus, idque initio potissimum, eam ob causam, ne adolescentes, Latino sermoni parum adsuetos, cognitionibus ceteroquin satis instructos, deterreremus; subinde vero etiam, ut iis, qui studiis nondum rite peractis leviter ad examina accederent, omnem ratione linguæ difficultatis prætextum abscinderemus.

Videbatur autem illa indulgentia eo magis nobis opus esse propterea quod, ea utentes, in rebus ipsis, in studiis, quæ vitæ conditioni difficillimæ et pro humani generis prosperitate gravissimæ necessaria sunt, severiores nos judices præstandi simus occasionem nacti.

Et hujus rei exemplo Franco-Galli quoque nobis præierunt. Instauratis enim in Gallia literarum studiis, item præcipiebatur usus Latinæ linguæ, ita tamen, ut per aliquot annos

vernacula non omnino excluderetur. In Schola Medicinæ Parisiensi, anno hujus sæculi tertio, primis quatuor annis sermone Francico utendi venia est data : quibus elapsis demum lex illa erat servanda, quâ et Professores in instituendo et discipuli in audiendo et respondendo Latinæ linguæ debebant esse rursus adsueti, et qua nec quisquam, nisi studiis et examinibus ita peractis, Doctoris dignitate condecorari potuit. Quodsi fortasse hinc inde neglectum sit hoc præceptum, nonnisi abusu et in contemptionem legis id factum esse putandum est. Studiis autem præparatoriis neglectis, admitti solummodo quis debebat in scholis conjunctis illis cum plurimis urbium provincialium hospitiis, ita quidem, ut secundum sententiam legis omnes, qui ex his scholis prodiissent, minori tantum Chirurgiæ destinati, nunquam ad Doctoris honores possent pervenire.

Etiamsi vero in regno Franco-gallico, reipublicæ proceres, continuis bellis et occupationibus avocati, non multum de lingua Latina laborarent, lex illa paullatim in desuetudinem abire cœpit, nulla tamen habita ratione, lex ipsa exstat, omnesque Imperii Gallici incolæ illâ tenebantur post quatuor annos elapsos. Lubenter fateor igitur in nostro legum Codice consignando sumi debebat, Latinum sermonem jam a longo inde tempore usitatum fuisse, quandoquidem quatuor illi anni, quibus indulgentia circumscribebatur, plus duplici vice abierant. Debuit autem legislator propterea quoque præcipere Latinum sermonem, quia unus ille plane generalis est, et quia bonæ Latinitatis studium manu quasi ducit ad omnes fere alias disciplinas, in iisque rite addiscendis efficacissimum prostat auxilium. Neque quisquam ignorat in his terris dificillimum esse, alium eligere sermonem, qui

ab omnibus æque intelligatur; cum scilicet dimidium certe discipulorum, quorum patrius sermo Belgicus est, in Franco-Gallico parum sit versatum, itemque alterum dimidium eorum, qui patriam Linguam Wallonicam, quæ dicitur, habent, et in quibus nonnulli sane accurata Gallici sermonis cognitione excellunt, Belgicum prorsus ignoret. Quod si igitur fortasse legislator non undique voluisset eadem ratione Latinum sermonem usurpari, admittere potuisset Belgicum Lugduni, Groningæ et Ultrajecti; Lovanii vero, Leodii et Gandavi non poterat, quin Latinum præscriberet, ubi Tornacenses, Brachbatenses, Flandrici Wallonesque simul et Lucemburgenses, iisdem scholis debent interesse, et parem omnes ex iisdem utilitatem capere.

Sed non minus perspectum etiam optime habemus, quantopere, proh dolor! adolescentes sibi sæpissime in eo placeant, ut juvenili ætate quam celerrimè ad graviora virorum munera emergant, et Literarum studia vix incepta jam finire studeant.

Non minus nobis notum est in lege illâ Franco-Gallica, quæ necessaria et saluberrima initio videbatur, exequenda non multum severitatis adhibitum esse, quoniam lingua Latina ad bellum cum laude gerendum haud necessaria haberi debebat.

Atque rationes hæ sufficere nobis videbantur, ut primo hoc anno, in usu Latini sermonis indulgentiores nos præstaremus, quo severiores possimus esse in rerum ipsarum cognitione, qua civium sæpe singulorum aut reipublicæ salus continetur, religiose dijudicandâ.

Neque vero silentio prætermittere possum, Regem Augustissimum promptum semper ad justis civium votis satisfaciendum, nuper admodum, novum liberalitatis exemplum exhibuisse in nominando literarum Gallicarum præceptore eruditissimo, qui non minus ob animi ingeniique dotes existimatione, quâ his in terris gaudet, se dignum reddidit.

Habemus præterea inter nos linguarum recentiorum, Anglicæ, Germanicæ et Belgicæ magistrum versatissimum, quo uti nunc quoque ii possunt, qui nondum satis sunt exercitati ad frequentandas lectiones super Literis Belgicis in Academia habendas.

Quæ igitur cum ita sint, Auditores honoratissimi, perspicuum est, Academiæ nostræ prosperitatem nonnisi ab unitis nostris studiis ac laboribus pendere, quibus, ut merito licet augurari, consecuturi sumus et æstimationem æqualium quorumque doctissimorum et discipulorum amorem et observantiam, gratiasque in perpetuum sumus apud eorum parentes inituri. Neque tamen fieri potest, ut uniuscujusque votis satisfaciamus. In magnâ scilicet, quâ utendum esse videbatur, indulgentiâ, ut adolescentibus subtili et accuratâ disciplinarum cognitione imbutis vernaculam in examinibus usurpandi veniam tribueremus, deesse non potuit, quin in reprehensionem incurreremus severiorum aliquot scholasticorum. Fatendum quidem est severitate illâ, qua in rerum ipsarum cognitione accuratâ dijudicanda uti consuevimus, cujusque rei rationem reddere debemus et numini supremo et humanitati et nostræ ipsorum conscientiæ, severitate illa dico, et imposterum semper contracturi sumus reprehensionem ex offenso amore proprio ortam illorum, qui in audaciâ immatura fal-

lebantur. Sed est nobis alterum ex binis illis eligendum; ut sive aliorum isti reprehensioni nos lubenter exponamus, aut muneri, quo nihil nobis esse sanctius debet, prorsus renunciemus.

Atque hæc quidem hactenus!

Nihil restat, quam ut vobis, Curatores illustrissimi! æstumatissimique Collegæ gratias, quas possum maximas, agam pro indulgentiâ, in qua sæpius mihi erat acquiescendum, et pro prudentissimis consiliis, quibus in munere difficillimo per primum hunc annum obeundo adjuvare me voluistis.

Vobis quoque, optimi juvenes, spes patriæ et parentum, qui hoc anno jam nobiscum estis versati, gratum animum testificor pro amore et animi affectione, qua nos estis prosecuti, pro obtemperantia, quam legibus præstititistis, quotiescunque eas in animum vobis revocare debebam. Abunde mihi comprobastis, in consiliis et exhortationibus, immo in ipsis pœnis, quas quamvis rarissime pronunciare coactus eram, vos nonnisi ardentissimum meum cognovisse desiderium, vestris rebus inserviendi, vobisque quantum in me esset, futuræ felicitatis viam muniendi. Rogo vos, ut eadem, qua cœpistis ratione et in posterum pergatis, persuasum habentes, nec quidquam me esse neglecturum, quo studiis vestris et saluti optime consulere possim.

DIXI.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A DIE III OCTOBRIS MDCCCXVIII

AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXIX

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR,

RECTORE MAGNIFICO,

JO. FRANC. MICHAELE BIRNBAUM,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

INDEX

EORUM, QUAE HAC ANNALIUM PARTE CONTINENTUR.

Neque vero silentio prætermittere possum, Regem Augustissimum promptum semper ad justis civium votis satisfaciendum, nuper admodum, novum liberalitatis exemplum exhibuisse in nominando literarum Gallicarum præceptore eruditissimo, qui non minus ob animi ingeniique dotes existimatione, quâ his in terris gaudet, se dignum reddidit.

Habemus præterea inter nos linguarum recentiorum, Anglicæ, Germanicæ et Belgicæ magistrum versatissimum, quo uti nunc quoque ii possunt, qui nondum satis sunt exercitati ad frequentandas lectiones super Literis Belgicis in Academia habendas.

Quæ igitur cum ita sint, Auditores honoratissimi, perspicuum est, Academiæ nostræ prosperitatem nonnisi ab unitis nostris studiis ac laboribus pendere, quibus, ut merito licet augurari, consecuturi sumus et æstimationem æqualium quorumque doctissimorum et discipulorum amorem et observantiam, gratiasque in perpetuum sumus apud eorum parentes inituri. Neque tamen fieri potest, ut uniuscujusque votis satisfaciamus. In magnâ scilicet, quâ utendum esse videbatur, indulgentiâ, ut adolescentibus subtili et accuratâ disciplinarum cognitione imbutis vernaculam in examinibus usurpandi veniam tribueremus, deesse non potuit, quin in reprehensionem incurreremus severiorum aliquot scholasticorum. Fatendum quidem est severitate illâ, qua in rerum ipsarum cognitione accuratâ dijudicanda uti consuevimus, cujusque rei rationem reddere debemus et numini supremo et humanitati et nostræ ipsorum conscientiæ, severitate illa dico, et imposterum semper contracturi sumus reprehensionem ex offenso amore proprio ortam illorum, qui in audaciâ immatura fal-

lebantur. Sed est nobis alterum ex binis illis eligendum; ut sive aliorum isti reprehensioni nos lubenter exponamus, aut muneri, quo nihil nobis esse sanctius debet, prorsus renunciemus.

Atque hæc quidem hactenus!

Nihil restat, quam ut vobis, Curatores illustrissimi! æstumatissimique Collegæ gratias, quas possum maximas, agam pro indulgentiâ, in qua sæpius mihi erat acquiescendum, et pro prudentissimis consiliis, quibus in munere difficillimo per primum hunc annum obeundo adjuvare me voluistis.

Vobis quoque, optimi juvenes, spes patriæ et parentum, qui hoc anno jam nobiscum estis versati, gratum animum testificor pro amore et animi affectione, qua nos estis prosecuti, pro obtemperantia, quam legibus præstitistis, quotiescunque eas in animum vobis revocare debebam. Abunde mihi comprobastis, in consiliis et exhortationibus, immo in ipsis pœnis, quas quamvis rarissime pronunciare coactus eram, vos nonnisi ardentissimum meum cognovisse desiderium, vestris rebus inserviendi, vobisque quantum in me esset, futuræ felicitatis viam muniendi. Rogo vos, ut eadem, qua cœpistis ratione et in posterum pergatis, persuasum habentes, nec quidquam me esse neglecturum, quo studiis vestris et saluti optime consulere possim.

DIXI.

ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A DIE III OCTOBRIS MDCCCXVIII

AD DIEM IV OCTOBRIS MDCCCXIX

FRANCISCO JOSEPHO HARBAUR,

RECTORE MAGNIFICO,

JO. FRANC. MICHAELE BIRNBAUM,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE III OCT. MDCCCXVIII AD DIEM IV OCT. MDCCCXIX

HABITARUM.

TEMPORE HIBERNO.

LECTIONES MEDICAE.

Exercitationibus Clinicis Medico-Chirurgicis in Nosocomio Civili quotidie præfuerunt alternative F. J. HARBAUR, J. J. VAN DER TAELEN et J. M. BAUD horâ VIII.

Artem Clinicam quam vocant F. J. HARBAUR docuit horâ IX.

De Arte Obstetriciâ et Morbis Oculorum alternative Idem cum Doctore VAN ONSENOORT lectiones theoretico-practicas instituit horâ X.

Anatomiam sexies per septimanam J. M. BAUD a horâ X ad horam XII,

2.

Physiologiam et Pathologiam, illam ter hanc bis per septimanam, G. J. Van Gobbelschroy horâ XI,

Materiam Medicam ter per septimanam C. F. Jacmart horâ II,

Zoonomiam Idem ter per septimanam eâdem horâ,

Therapiam Generalem quinquies per septimanam J. J. Van Der Taelen,

Therapiam Specialem in Nosocomio Militar J. M. Zinkgraeff docuit.

Lectiones Chirurgicas in Nosocomio Militari Dr Van Onsenoort,

Lectiones Pharmaceuticas ibidem Dr De Courtray habuit.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Criminale Hodiernum ter per septimanam F. M. Birnbaum horâ VIII,

Jus Civile Hodiernum sexies per septimanam H. F. Decoster horâ XI docuit.

Pandectas sexies per septimanam J. P. De Bruyn horâ X,

Institutiones ter per septimanam X. Jacquelart horâ XI tradidit.

Jus Naturæ et Gentium bis per septimanam explicavit J. P. De Bruyn.

Historiam Juris narrandam indixit F. M. Birnbaum.

Ad Practicam Juris bis per septimanam docendam X. Jacquelart,

Ad Diplomaticam tradendam H. F. Decoster paratus erat.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Mathesin Elementarem quater per septimanam F. J. Goebel horâ VIII,

Chemiam Generalem et Specialem ter per septimanam J. B. Van Mons horâ X,

Materiam Pharmaceuticam et Pharmaciam Practicam Idem bis per septimanam horâ eâdem,

Physicam Experimentalem et Mathematicam ter per septimanam J. F. Sentelet horâ XI,

Astronomiam Physicam et Œconomiam Ruralem Idem bis per septimanam horâ eâdem,

Zoologiam ter per septimanam F. J. Adelmann horâ II,

Mineralogiam Idem bis per septimanam horâ eâdem docuit.

Lectiones de Astronomiâ habendas indixit F. J. Goebel.

LECTIONES PHILOSOPHICO-LITERARIAE.

Locos ex Herodoto Xenophonte et Plutarcho selectos (ad Wyttenbachii selecta Principum Historicorum ed. Alt. Amst. 1818) quinis diebus septimanæ posterioribus interpretatus est G. J. Bekker horâ VIII.

Logicam et Metaphysicam, illam ter hanc bis per septimanam, docuit J. B. Liebaert horâ IX.

Esaiam et Proverbia Salomonis S. Heuschling ter per septimanam horâ XI,

Linguæ Belgicæ Grammaticam ter per septimanam A. Ten Broecke Hoekstra explicavit horâ II.

Historiam Patriæ Idem ter per septimanam horâ eâdem,

Historiam Europæ Politicam F. J. Dumbeck bis per septimanam horâ III narravit.

Ciceronis Libros de Officiis interpretatus est, *et Exercitationes Latine scribendi* instituit quinis septimanæ diebus G. J. Bekker horâ III.

Geographiam Antiquam et Historias Veterum Populorum F. J. Dumbeck ternis septimanæ diebus prioribus horâ IV,

Historiam et Antiquitates Romanorum Idem ternis septimanæ diebus posterioribus eâdem horâ tradidit.

Antiquitates Græcas explicavit G. J. Bekker.

Literas Gallicas docuit J. Jacotot.

Ad Rudimenta Linguarum Arab. Syr. et Chald. docenda et *Exercitationes Gramm. in Adagia Arab. et fabulas Lokmani, in Daniel et Novum Testam.* instituendas se S. Heuschling,

Ad Poëtam vel Oratorem Latinum belgice explicandum se A. Ten Broecke Hoekstra obtulit.

TEMPORE AESTIVO

LECTIONES MEDICAE.

Exercitationibus Clinicis Medico-Chirurgicis in Nosocomio Civili, ut tempore hiberno, præfuerunt F. J. Harbaur, J. J. Van Der Taelen et J. M. Baud.

Artem Clinicam et Obstetriciam F. J. Harbaur docere, et

De Morbis Oculorum Idem cum Doctore Van Onsenoort lectiones theoretico-practicas habere perrexit.

Physiologiam et Pathologiam G. J. Van Gobbelschroy,

Materiam Medicam C. F. Jacmart,

Therapiam Generalem J. J. Van Der Taelen,

Therapiam Specialem J. M. Zinkgraeff continuavit.

Lectiones Chirurgicæ et Pharmaceuticæ in Nosocomio Militari continuatæ sunt a Doctoribus Van Onsenoort et De Courtray.

Chirurgiam sexies per septimanam J. M. Baud a horâ X ad horam XII,

Toxicologiam, Diæteticam et Medicinam Forensem ter per septimanam C. F. Jacmart horâ II docuit.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Hodiernum Civile et Criminale H. F. DECOSTER et F. M. BIRNBAUM,

Institutiones et Pandectas X. JACQUELART et J. P. DE BRUYN continuaverunt.

Jus Naturæ et Gentium explicare perrexit J. P. DE BRUYN.

Encyclopædiam et Methodologiam Juris bis per septimanam F. M. BIRNBAUM horâ XI,

Jus Publicum bis per septimanam H. F. DECOSTER horâ III docuit.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Mathesin Elementarem F. J. GOEBEL,

Chemiam Generalem et Specialem, Materiam Pharmaceuticam et Pharmaciam Practicam J. B. VAN MONS,

Physicam Experimentalem et Mathematicam, Astronomiam Physicam et Œconomiam Ruralem J. F. SENTELET,

Zoologiam F. J. ADELMANN continuavit.

Botanicen ac Physiologiam Plantarum Idem binis septimanæ diebus horâ II,

Mathesin Sublimiorem binis septimanæ diebus F. J. GOEBEL docuit.

LECTIONES PHILOSOPHICO-LITERARIAE.

Locorum ex Herodoto Xenophonte et Plutarcho selectorum Librorumque Ciceronis de Officiis interpretationem, *item Exercitationes Latine scribendi et Antiquitatum Græcarum* explicationem G. J. Bekker,

Logicam et Metaphysicam J. B. Liebaert,

Esaiæ et Proverbiorum Salomonis Exegesin S. Heuschling,

Historiam Patriæ et Linguæ Belgicæ Grammaticam A. Ten Broecke Hoekstra,

Historiam Europæ Politicam, Geographiam Antiquam, Historias Veterum Populorum et Antiquitates Romanorum F. J. Dumbeck,

Literarum Gallicarum Lectiones J. Jacotot continuavit.

Historiam Philosophiæ J. B. Liebaert narravit, et

De Arte Heraldicâ lectiones publicas indixit F. J. Dumbeck.

III.

ACTA

IN SENATU ACADEMIAE LOVANIENSIS

A DIE III OCT. MDCCCXVIII AD DIEM IV OCT. MDCCCXIX.

3.

ACTA

IN SENATU ACADEMIAE LOVANIENSIS

A DIE III OCT. MDCCCXVIII AD DIEM IV OCT. MDCCCXIX.

ANNO MDCCCXVIII DIE VIII OCTOBRIS.

In conventu Senatus Amplissimi electi sunt, qui Rectori Magnifico per hunc annum adessent Adsessores, ex Ordine JCtorum Vir Clar. J. P. De Bruyn, ex Ordine Disciplinarum Math. et Phys. Vir Clar. F. J. Goebel, ex Ordine Philosophiæ Theor. et Litt. Hum. St. Heuschling, et Senatus Academici Graphiarius pro hoc anno designatus est F. M. Birnbaum Jur. Prof. Ord.

DIE XXII DECEMBRIS.

Quum juvenis ornatissimus Ph. Henot ad gradum Doctoris Juris Rom. et Hod. publice promoveretur, Vir Clar. H. F. Decoster Jur. Professor Ordinar. et eâ die Promotor juvenes studiosos Doctoris gradum adpetituros, exhortatus est brevi oratione in auditorio publico dictâ, ut Dissertationes majori cum diligentiâ conscriberent, quam hucusque scriptæ essent, eosque docuit, quâ ratione essent conscribendæ ex mente Regis Augustissimi, cujus sapientissimâ Constitutione ejusmodi studiorum testimonia a juvenibus requirerentur, antequam ad vitæ usum se conferrent. (Serius, cum ejusdem

fere argumenti epistola Viri Illustrissimi Summi Artium et Disciplinarum Præfecti scripta die XXII Aprilis MDCCCXIX ad Senatum perveniret, orationem illam in Annalibus memorandam esse, decretum est.)

ANNO MDCCCXIX DIE XVII JUNII.

Senatus Academicus ordinem in deferendo gradu Doctoris servandum, quem jam anno priori decreverat, denuo examinavit, et ad eum modum, quo inferius sub N. IV hujus Annalium partis legitur, decrevit.

DIE XI JULII.

A Senatu Academico nominati sunt sex Candidati, quorum nomina mitterentur ex lege ad Regem Augustissimum, ut ex iis Rectorem Magnificum anni proxime sequentis designaret.

DIE I AUGUSTI.

Senatui Academico Rector Magnificus nunciavit Decretum Regium, quo Rector Magnificus in annum Academicum sequentem designatus est Vir. Clar. J. F. Sentelet Discipp. Math. et Phys. Professor Ord., cui a Collegis facta est gratulatio. Quo facto a Senatu sex nominati sunt Candidati, quorum nomina mitterentur ad Academiæ Curatores, ut ex iis Senatus Graphiarium anni proxime sequentis designarent.

DIE VIII AUGUSTI.

A Senatu Academico, rogante Viro Clar. G. J. Bekker Phil. Theor. et Litt. Hum. Professore Ord. et Bibliothecæ Acad. Præfecto, decreta sunt statuta Bibliothecæ Academicæ, quæ inferius sub N. V hujus Annalium partis leguntur.

DIE IV OCTOBRIS.

Quum Vir Clar. F. J. Harbaur Med. Professor. Ord. et eo tempore Rector Magnificus ad res Medicas terrâ marique loco viri Clar. S. J. Brugmans, intempestivâ morte patriæ et doctrinæ erepti, ordinandas gubernandasque avocatus esset, et Serenissimæ Regis Augustissimi Sororis valetudine Hagis Comitum retineretur, ita, ut munus Rectoris solemni modo et præfixo tempore Lovanii deponere, et præmia victoribus in certamine literario hujus anni ab Ordinibus decreta distribuere non posset; a Viro Illustrissimo Artium et Disciplinarum Summo Præfecto hâc de re literæ missæ sunt ad Academiæ Curatores, quibus Viris Amplissimis mandatum est, ut nihilominus lectiones inchoandas et munus Rectoris Magnifici ab illius successore designato suscipiendum curarent.

Quæ omnia cum a Viro Amplissimo Curatorum Præside in Senatus Amplissimi conventu relata essent; novus Rector M. J. F. Sentelet jusjurandum ex lege præstitit, qui ei per annum sequentem adessent Adsessores electi sunt ex Ordine Phil. et Litt. Hum. Vir Clar. A. Ten Broecke Hoekstra, ex Ordine JCtorum Vir Clar. H. F. Decoster, ex Ordine Medicorum Vir Clar. G. J. Van Gobbelschroy, et Senatus Graphiarius in eumdem annum designatus est Vir Clar. C. F. Jacmart Med. Prof. Ord. (Solemnis abdicatio et præmiorum ab Ordinibus decretorum distributio a Viro Ampliss. F. J. Harbaur demum die XX April. MDCCCXX in aulâ Academicâ publice facta est præsentibus Academiæ Curatoribus, Professoribus, Lectoribus et Studiosis.)

IV.

ORDO

SERVANDUS IN DEFERENDO DOCTORIS GRADU,

A SENATU

ACADEMIAE LOVANIENSIS

DECRETUS DIE XVII JUNII MDCCCXIX.

ORDO

SERVANDUS IN DEFERENDO DOCTORIS GRADU,

A SENATU

ACADEMIAE LOVANIENSIS

DECRETUS

DIE XVII JUNII MDCCCXIX.

§ I.

Qui Doctoris gradum est adepturus, libello Ordinis Decano adferendo petat, ut ad examen admittatur, in quo libello adcurate indicentur : nomen Candidati, prænomen, ætas, locus natalis, domicilium, vitæ ante actæ potiora momenta, et utrum Candidatus electurus sit publicum an privatum disputandi modum. Adjiciantur item ;

1. Testimonia adscriptionis ad numerum Studiosorum Academiæ nostræ et alius cujuspiam, ubi studiis forsitan operam dederit.

2. Testimonium examinis pro Candidati gradu ante annum exantlati.

3. Testimonia ex quibus intelligatur, prælectiones omnes quæ ex lege ad gradum Doctoris adipiscendum requiruntur, cum fructu ab eo esse frequentatas.

4. Quod si peregre advenerit, addendum præterea est testimonium morum a Senatu Universitatis, unde venerit, exhibitum.

§ II.

Si forte de Candidato ad examen admittendo dubium oriatur, Decanus convocet Ordinem, a quo si decidi hâc de re nequeat, ea ad Rectorem vel Senatum referatur.

§ III.

In re certâ et exploratâ examinis dies, determinandus a Decano, ad valvas Academicas indicetur schedulâ Decani et Graphiarii nominibus insignitâ, et invitentur ad id Professores a Decano.

§ IV.

Postridie indicationis factæ examen cum Candidato instituatur, si antea solverit pro gradu ex lege solvenda.

§ V.

Examine priori ab Ordine adprobato die proxime insequenti alterum idque scripto instituatur, custode uno alternatim Professore nec ullis omnino subsidiis præter Corpus Juris Romani et Codices Hodiernos Juris Candidatis suppeditandis. Jisdem etiam tituli Corporis Juris vel Codicum, ex quibus duo loci secundum legem explicandi sunt, jam post examen prius finitum, loci ipsi vero, ut etiam Medicis loci ex fragmentis Hippocratis, nonnisi ipsâ examinis horâ indicentur.

§ VI.

Posteriore quoque examine ab Ordine adprobato Candidatus moneatur ad Dissertationem diligenter et erudite oratione Latinâ scribendam ex mente Constitutionis Regiæ de Universitatibus instituendis.

§ VII.

Dissertatio Decano a Candidato allata ab unoquoque Professore intra septimanæ spatium est perlegenda, et ab integro Ordine deinceps dijudicandum, an nihil illa contra leges et bonos mores contineat, mentique Constitutionis Regiæ de U. I. et doctrinæ dignitati respondeat.

§ VIII.

Dissertationi ab Ordine adprobatæ inscribatur a Decano et Secretario permissio ad imprimendum, Constitutionis Regiæ de U. I. art. LIV præscripta. Quo facto Dissertatio Candidato reddatur, ut eam quoad rem immutatam prelo subjiciendam, et in eâ indicandum curet, utrum eam modo publico an privato defensurus sit. Deinde dies promotionis determinetur.

§ IX.

Studiosus qui sine permissione modo memoratâ Dissertationem prelo subjiciendam curaverit, vel post permissionem ab Ordine datam aliquid mutaverit vel omiserit vel adposuerit, ad impressam hanc Dissertationem defendendam non admittatur, idque publice indicetur.

§ X.

Promotionis dies ab Ordine determinatus Rectori, ut det

suam sententiam, indicetur literis quæ contineant ex Actorum Ordinis commentariis excerpta : nomen, prænomen, locum natalem et dignitatem Candidati, modum disputandi quem elegerit, ubi et per quod tempus studiis operam dederit, quâ cum laude examina Doctoris et Candidati exantlaverit, quodque sit meritum Dissertationis ab eo conscriptæ.

§ XI.

Rectoris sententiâ datâ Disputatio ratione § III præscriptâ indicetur, si studiosus tres dies antea adtulerit ad Decanum Dissertationis impressæ totidem exempla, quot sunt Academiæ Professores.

§ XII.

Decanus cuivis Professori exemplum mittendo omnes invitet, et promotio locum habeat postridie indicationis factæ, si studiosus præter exempla § XI nominata XL exempla in scriniis Academicis asservanda adtulerit ad Graphiarium Senatus.

§ XIII.

Studiosus examine priori a majore parte Professorum non adprobato, serius denuo ad examen admitti potest, nec tamen ante tres menses præterlapsos. Ter rejectus non amplius, nisi quæ supra præscripta sunt §§ I-IV post anni spatium repetierit, admittendus est. Examine altero non adprobato denuo alterum thema explicandum, Dissertatione non adprobatâ tempus vel ad corrigendam vel ad novam conficiendam concedatur. Explicatione ter rejectâ examen prius pro non facto habendum est.

§ XIV.

Vota majora determinent, an Dissertationes et examina sint adprobanda, votis paribus sententia Decani prævaleat.

§ XV.

Promotionis die Professores cuncti, quibus in deferendo gradu votum est, conveniant horâ indicatâ cum Candidato in conclavi Senatus Academici, unde ordine solemni praecedentibus Adparitoribus in aulam Academicam procedant.

§ XVI.

Ubi primum advenerint, Adparitores edito signo ad silentium præsentes hortentur, et Candidatus invitet ad interrogandum eos, quibus interrogandi vel jus vel officium est.

§ XVII.

Disputatione finitâ Professores omnes, quibus voti ferendi jus est, se conferant in proximum conclave, in quo a Senatus Graphiario literæ § X nominatæ prælegendæ sunt, ut ex his et ex disputatione auditâ quivis votum ferat, utrum simpliciter Candidatus sit admittendus, an cum laude, an magnâ cum laude, an summâ cum laude.

§ XVIII.

Vota majora decernant, et decisionem inserat Senatus Graphiarius Actis Academicis quibus literæ § X nominatæ adjiciantur.

XIX.

Deinde omnes ad aulam Academicam redeant, Rector publice indicet, quâ cum laudis notâ Candidatus admissus sit, accipiat in manus suas juramentum a Graphiario prælegendum, a Candidato religiose repetendum et invitet Promotorem, ut illum Doctorem creet et renunciet.

§ XX.

Promotor Doctorem creando pauca dicat de Candidati curriculo, si ipsi hæc necessaria videantur, et Doctore pronunciato invitet Senatus Graphiarium ad diploma expediendum. Tandem omnes cum Doctore in conclave Senatus Academici solemni ordine redeant.

V.

STATUTA

BIBLIOTHECAE

ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU DIE VIII AUG. MDCCCXIX

DECRETA.

STATUTA

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU

DIE VIII AUGUSTI MDCCCXIX

DECRETA.

§ I.

Bibliotheca Academica destinata est usui liberrimo cum Professorum tum Studiosorum, ita tamen, ut illis dumtaxat non item his permissum sit libros ex Bibliotheca in domicilium transportare. (arg. art. CXXXVI et CXXXVII Constitutionis Regiæ de Universitt. Instit.)

§ II.

Professoribus autem et ipsis quidem Bibliothecæ Præposito sic solummodo libros e Bibliothecâ licet asportare, ut nomina inscribant libro peculiari, in quem a Custode referendus est libri tradendi titulus, locus et annus quo prodiit, voluminum numerus et dies exhibitionis.

5.

§ III.

Opera reportata a Custode in eodem libro notanda sunt, adjecto die restitutionis nominisque subscriptione.

§ IV.

Retinere autem libros Bibliothecæ per totum semestre tempus licet, nisi alius ex Professoribus eosdem petierit. Quod si factum fuerit, reddendi sunt intra dimidiatum mensem ab indicatâ repetitione, si primus mensis jam fuerit elapsus; sin minus, sex intra septimanas ab eo die quo ex Bibliothecâ sunt exhibiti.

§ V.

Ultimâ unius cujusque semestris temporis septimanâ libri omnes ac singuli in Bibliothecam sunt reportandi, unde secundâ demum feriarum hebdomade, præscripto § I observato, repeti possunt.

§ VI.

Terminis supra indicatis elapsis nec libris a Professoribus redditis Custodis est eos admonere. Quod si intra quatuor dies ab hâc admonitione legi nondum satisfecerint, pro quâvis ulteriore admonitione quarto quoque die repetendâ Custodi florenus pro Museo Academico solvendus est.

§ VII.

Ex Bibliothecâ omnino asportari non possunt tam opera majora et generalia, quæ ad evolvendum unicuique semper suppetere debent, ut Libri Bibliographici, Thesa uri, Lexica Majora etc., quam opera splendida et pretiosa, cum figuris æri incisis etc.; quorum Catalogus est conficiendus. Quòdsi

necessarium sit, ut ejusmodi opera in habendis lectionibus auditorum oculis subjiciantur, exhibenda illa quidem; sed, si prælectiones in eodem in quo Bibliotheca est ædificio habentur, statim post eas finitas, sin minus, saltem intra septimanæ spatium reportanda sunt.

§ VIII.

Professoribus tantum, non Studiosis liberum est in conclavia ubi libri asservantur intrare, librosque sibi e pluteis sumere. Studiosi non nisi Custode comite singuli aut bini possunt intrare, nec tamen libros extrahere e scriniis aut evolvere.

§ IX.

Qui libros ad excerpendum aut ad legendum desiderant, in conclave particulare ad id destinatum se conferant, ubi Custos promte et expedite illos suppeditabit.

§ X.

Idem valet de Bibliothecæ Catalogis omnino absolutis, quos unicuique ad inspiciendum exhibere Custos tenetur.

§ XI.

Inter legendum singulis summum silentium est tenendum, neque colloquendo aut obambulando legentes turbandisunt.

§ XII.

Ad excerpendum Studiosis stylo cerussato, non atramento licet uti, nec charta libris est imponenda.

§ XIII.

Summa omnino cura est adhibenda, ut libri integri et

mundi serventur. Qui librum læserit aut commaculaverit, ejus sumtibus aliud exemplum pro Bibliothecâ est emendum et eâdem ratione compingendum.

§ XIV.

Ut hæc omnia rite observentur, Custodi Bibliothecæ est vigilandum. Quodsi illius culpâ aliquid neglectum fuerit aut violatum, ipse tenetur.

§ XV.

Ad legendum, ad asportandos libros et reddendos quotidie Bibliotheca est aperta tempore hiberno ab horâ I ad horam IV, tempore æstivo ab horâ II ad horam VI; diebus festis et Mercurii exceptis.

§ XVI.

Quod de libris dictum est, idem de Ephemeridibus Literariis valet, si per tres menses in Museo Academico fuerint depositæ.

§ XVII.

Eæ autem, ut singuli fasciculi advenerint, ordine chronologico rite et adcurate in Indicem a Custode sunt referendæ.

VI.

PROGRAMMA
QUAESTIONUM,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX

PROPOSITARUM

IDIBUS AUGUSTI MDCCCXIX.

QUAESTIONES,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI

ART. CXL—CXLIX.

PROPOSITÆ.

I. AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

1. Quæ est origo verisimilior Electricitatis in columnâ electricâ, et quâ ratione compositio et decompositio corporum hujus ope obtinetur?

2. Quænam est methodus, quâ superficies una cum Stereometriâ commodissime aptissimeque tractari queant? Investigetur etiam centrum gravitatis in corporibus eorumque superficiebus. In operatione ipsâ circuli functiones adhibeantur.

3. Disseratur de plantarum structurâ et enucleentur ex Physiologicis et Chemicis præceptis processus vegetationis capita maxime memoranda.

II. AB ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

1. Explicetur et ex Græcis potissimum fontibus illustretur Ciceronis liber, qui *Cato Major* sive *de Senectute* inscribitur: idque ad exemplum egregiarum in hoc genere Disputationum, quibus de Cicerone nuper insigniter meruerunt Batavi homines doctissimi, ut F. G. Van Lynden, J. T. Netscher, C. J. Van Assen, alii.

2. Diligenter exponatur locus de *Errorum Fontibus*, copiosius præcipue eâ parte explicatâ, quæ est de *Opinionibus præjudicatis* (vulgo præjudiciis), indicenturque, quænam adhibendæ sint, errores undecumque ortos evitandi, cautiones: idque eâ ratione, ut Antiquorum et Recentiorum, qui idem argumentum attigerunt, placitis continuo inter se comparatis, suam ipse sententiam auctor adjiciat.

3 Explicetur ratio *progressus*, quem, fractam post Hispanorum septem in fœderatis Belgii regionibus potentiam summique imperii abdicationem, *Lingua* fecerit *Belgica*, et prorsus exponatur causa *ejusdem idiomatis negligentiæ*, per totum Regiâ in Belgicâ domus Austriacæ dominationis spatium, *recentissimam* usque ad omnium Belgarum sociale sub Principis Arausiaci imperii pactum reconciliationem.

III. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

Quid est possessio? Quotuplex? Quomodo acquiritur, retinetur, amittitur? Quænam sunt ejus commoda? Confir-

V.

STATUTA

BIBLIOTHECAE

ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU DIE VIII AUG. MDCCCXIX

DECRETA.

STATUTA

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU

DIE VIII AUGUSTI MDCCCXIX

DECRETA.

§ I.

Bibliotheca Academica destinata est usui liberrimo cum Professorum tum Studiosorum, ita tamen, ut illis dumtaxat non item his permissum sit libros ex Bibliotheca in domicilium transportare. (arg. art. CXXXVI et CXXXVII Constitutionis Regiæ de Universitt. Instit.)

§ II.

Professoribus autem et ipsis quidem Bibliothecæ Præposito sic solummodo libros e Bibliothecâ licet asportare, ut nomina inscribant libro peculiari, in quem a Custode referendus est libri tradendi titulus, locus et annus quo prodiit, voluminum numerus et dies exhibitionis.

5.

§ III.

Opera reportata a Custode in eodem libro notanda sunt, adjecto die restitutionis nominisque subscriptione.

§ IV.

Retinere autem libros Bibliothecæ per totum semestre tempus licet, nisi alius ex Professoribus eosdem petierit. Quod si factum fuerit, reddendi sunt intra dimidiatum mensem ab indicatâ repetitione, si primus mensis jam fuerit elapsus; sin minus, sex intra septimanas ab eo die quo ex Bibliothecâ sunt exhibiti.

§ V.

Ultimâ unius cujusque semestris temporis septimanâ libri omnes ac singuli in Bibliothecam sunt reportandi, unde secundâ demum feriarum hebdomade, præscripto § I observato, repeti possunt.

§ VI.

Terminis supra indicatis elapsis nec libris a Professoribus redditis Custodis est eos admonere. Quod si intra quatuor dies ab hâc admonitione legi nondum satisfecerint, pro quâvis ulteriore admonitione quarto quoque die repetendâ Custodi florenus pro Museo Academico solvendus est.

§ VII.

Ex Bibliothecâ omnino asportari non possunt tam opera majora et generalia, quæ ad evolvendum unicuique semper suppetere debent, ut Libri Bibliographici, Thesauri, Lexica Majora etc., quam opera splendida et pretiosa, cum figuris æri incisis etc.; quorum Catalogus est conficiendus. Quodsi

necessarium sit, ut ejusmodi opera in habendis lectionibus auditorum oculis subjiciantur, exhibenda illa quidem; sed, si prælectiones in eodem in quo Bibliotheca est ædificio habentur, statim post eas finitas, sin minus, saltem intra septimanæ spatium reportanda sunt.

§ VIII.

Professoribus tantum, non Studiosis liberum est in conclavia ubi libri asservantur intrare, librosque sibi e pluteis sumere. Studiosi non nisi Custode comite singuli aut bini possunt intrare, nec tamen libros extrahere e scriniis aut evolvere.

§ IX.

Qui libros ad excerpendum aut ad legendum desiderant, in conclave particulare ad id destinatum se conferant, ubi Custos promte et expedite illos suppeditabit.

§ X.

Idem valet de Bibliothecæ Catalogis omnino absolutis, quos unicuique ad inspiciendum exhibere Custos tenetur.

§ XI.

Inter legendum singulis summum silentium est tenendum, neque colloquendo aut obambulando legentes turbandisunt.

§ XII.

Ad excerpendum Studiosis stylo cerussato, non atramento licet uti, nec charta libris est imponenda.

§ XIII.

Summa omnino cura est adhibenda, ut libri integri et

mundi serventur. Qui librum læserit aut commaculaverit, ejus sumtibus aliud exemplum pro Bibliothecâ est emendum et eâdem ratione compingendum.

§ XIV.

Ut hæc omnia rite observentur, Custodi Bibliothecæ est vigilandum. Quodsi illius culpâ aliquid neglectum fuerit aut violatum, ipse tenetur.

§ XV.

Ad legendum, ad asportandos libros et reddendos quotidie Bibliotheca est aperta tempore hiberno ab horâ I ad horam IV, tempore æstivo ab horâ II ad horam VI; diebus festis et Mercurii exceptis.

§ XVI.

Quod de libris dictum est, idem de Ephemeridibus Literariis valet, si per tres menses in Museo Academico fuerint depositæ.

§ XVII.

Eæ autem, ut singuli fasciculi advenerint, ordine chronologico rite et adcurate in Indicem a Custode sunt referendæ.

VI.

PROGRAMMA
QUAESTIONUM,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX

PROPOSITARUM

IDIBUS AUGUSTI MDCCCXIX.

§ XX.

Promotor Doctorem creando pauca dicat de Candidati curriculo, si ipsi hæc necessaria videantur, et Doctore pronunciato invitet Senatus Graphiarium ad diploma expediendum. Tandem omnes cum Doctore in conclave Senatus Academici solemni ordine redeant.

V.

STATUTA

BIBLIOTHECAE

ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU DIE VIII AUG. MDCCCXIX

DECRETA.

STATUTA

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU

DIE VIII AUGUSTI MDCCCXIX

DECRETA.

§ I.

Bibliotheca Academica destinata est usui liberrimo cum Professorum tum Studiosorum, ita tamen, ut illis dumtaxat non item his permissum sit libros ex Bibliotheca in domicilium transportare. (arg. art. CXXXVI et CXXXVII Constitutionis Regiæ de Universitt. Instit.)

§ II.

Professoribus autem et ipsis quidem Bibliothecæ Præposito sic solummodo libros e Bibliothecâ licet asportare, ut nomina inscribant libro peculiari, in quem a Custode referendus est libri tradendi titulus, locus et annus quo prodiit, voluminum numerus et dies exhibitionis.

§ III.

Opera reportata a Custode in eodem libro notanda sunt, adjecto die restitutionis nominisque subscriptione.

§ IV.

Retinere autem libros Bibliothecæ per totum semestre tempus licet, nisi alius ex Professoribus eosdem petierit. Quod si factum fuerit, reddendi sunt intra dimidiatum mensem ab indicatâ repetitione, si primus mensis jam fuerit elapsus; sin minus, sex intra septimanas ab eo die quo ex Bibliothecâ sunt exhibiti.

§ V.

Ultimâ unius cujusque semestris temporis septimanâ libri omnes ac singuli in Bibliothecam sunt reportandi, unde secundâ demum feriarum hebdomade, præscripto § I observato, repeti possunt.

§ VI.

Terminis supra indicatis elapsis nec libris a Professoribus redditis Custodis est eos admonere. Quod si intra quatuor dies ab hâc admonitione legi nondum satisfecerint, pro quâvis ulteriore admonitione quarto quoque die repetendâ Custodi florenus pro Museo Academico solvendus est.

§ VII.

Ex Bibliothecâ omnino asportari non possunt tam opera majora et generalia, quæ ad evolvendum unicuique semper suppetere debent, ut Libri Bibliographici, Thesauri, Lexica Majora etc., quam opera splendida et pretiosa, cum figuris æri incisis etc.; quorum Catalogus est conficiendus. Quodsi

necessarium sit, ut ejusmodi opera in habendis lectionibus auditorum oculis subjiciantur, exhibenda illa quidem; sed, si prælectiones in eodem in quo Bibliotheca est ædificio habentur, statim post eas finitas, sin minus, saltem intra septimanæ spatium reportanda sunt.

§ VIII.

Professoribus tantum, non Studiosis liberum est in conclavia ubi libri asservantur intrare, librosque sibi e pluteis sumere. Studiosi non nisi Custode comite singuli aut bini possunt intrare, nec tamen libros extrahere e scriniis aut evolvere.

§ IX.

Qui libros ad excerpendum aut ad legendum desiderant, in conclave particulare ad id destinatum se conferant, ubi Custos promte et expedite illos suppeditabit.

§ X.

Idem valet de Bibliothecæ Catalogis omnino absolutis, quos unicuique ad inspiciendum exhibere Custos tenetur.

§ XI.

Inter legendum singulis summum silentium est tenendum, neque colloquendo aut obambulando legentes turbandi sunt.

§ XII.

Ad excerpendum Studiosis stylo cerussato, non atramento licet uti, nec charta libris est imponenda.

§ XIII.

Summa omnino cura est adhibenda, ut libri integri et

mundi serventur. Qui librum læserit aut commaculaverit, ejus sumtibus aliud exemplum pro Bibliothecâ est emendum et eâdem ratione compingendum.

§ XIV.

Ut hæc omnia rite observentur, Custodi Bibliothecæ est vigilandum. Quodsi illius culpâ aliquid neglectum fuerit aut violatum, ipse tenetur.

§ XV.

Ad legendum, ad asportandos libros et reddendos quotidie Bibliotheca est aperta tempore hiberno ab horâ I ad horam IV, tempore æstivo ab horâ II ad horam VI; diebus festis et Mercurii exceptis.

§ XVI.

Quod de libris dictum est, idem de Ephemeridibus Literariis valet, si per tres menses in Museo Academico fuerint depositæ.

§ XVII.

Eæ autem, ut singuli fasciculi advenerint, ordine chronologico rite et adcurate in Indicem a Custode sunt referendæ.

VI.

PROGRAMMA

QUAESTIONUM,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX

PROPOSITARUM

IDIBUS AUGUSTI MDCCCXIX.

V.

STATUTA
BIBLIOTHECAE
ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU DIE VIII AUG. MDCCCXIX

DECRETA.

STATUTA

BIBLIOTHECAE ACADEMIAE LOVANIENSIS,

A SENATU

DIE VIII AUGUSTI MDCCCXIX

DECRETA.

§ I.

Bibliotheca Academica destinata est usui liberrimo cum Professorum tum Studiosorum, ita tamen, ut illis dumtaxat non item his permissum sit libros ex Bibliotheca in domicilium transportare. (arg. art. CXXXVI et CXXXVII Constitutionis Regiæ de Universitt. Instit.)

§ II.

Professoribus autem et ipsis quidem Bibliothecæ Præposito sic solummodo libros e Bibliothecâ licet asportare, ut nomina inscribant libro peculiari, in quem a Custode referendus est libri tradendi titulus, locus et annus quo prodiit, voluminum numerus et dies exhibitionis.

§ III.

Opera reportata a Custode in eodem libro notanda sunt, adjecto die restitutionis nominisque subscriptione.

§ IV.

Retinere autem libros Bibliothecæ per totum semestre tempus licet, nisi alius ex Professoribus eosdem petierit. Quod si factum fuerit, reddendi sunt intra dimidiatum mensem ab indicatâ repetitione, si primus mensis jam fuerit elapsus; sin minus, sex intra septimanas ab eo die quo ex Bibliothecâ sunt exhibiti.

§ V.

Ultimâ unius cujusque semestris temporis septimanâ libri omnes ac singuli in Bibliothecam sunt reportandi, unde secundâ demum feriarum hebdomade, præscripto § I observato, repeti possunt.

§ VI.

Terminis supra indicatis elapsis nec libris a Professoribus redditis Custodis est eos admonere. Quod si intra quatuor dies ab hâc admonitione legi nondum satisfecerint, pro quâvis ulteriore admonitione quarto quoque die repetendâ Custodi florenus pro Museo Academico solvendus est.

§ VII.

Ex Bibliothecâ omnino asportari non possunt tam opera majora et generalia, quæ ad evolvendum unicuique semper suppetere debent, ut Libri Bibliographici, Thesauri, Lexica Majora etc., quam opera splendida et pretiosa, cum figuris æri incisis etc.; quorum Catalogus est conficiendus. Quodsi

necessarium sit, ut ejusmodi opera in habendis lectionibus auditorum oculis subjiciantur, exhibenda illa quidem; sed, si prælectiones in eodem in quo Bibliotheca est ædificio habentur, statim post eas finitas, sin minus, saltem intra septimanæ spatium reportanda sunt.

§ VIII.

Professoribus tantum, non Studiosis liberum est in conclavia ubi libri asservantur intrare, librosque sibi e pluteis sumere. Studiosi non nisi Custode comite singuli aut bini possunt intrare, nec tamen libros extrahere e scriniis aut evolvere.

§ IX.

Qui libros ad excerpendum aut ad legendum desiderant, in conclave particulare ad id destinatum se conferant, ubi Custos promte et expedite illos suppeditabit.

§ X.

Idem valet de Bibliothecæ Catalogis omnino absolutis, quos unicuique ad inspiciendum exhibere Custos tenetur.

§ XI.

Inter legendum singulis summum silentium est tenendum, neque colloquendo aut obambulando legentes turbandisunt.

§ XII.

Ad excerpendum Studiosis stylo cerussato, non atramento licet uti, nec charta libris est imponenda.

§ XIII.

Summa omnino cura est adhibenda, ut libri integri et

mundi serventur. Qui librum læserit aut commaculaverit, ejus sumtibus aliud exemplum pro Bibliothecâ est emendum et eâdem ratione compingendum.

§ XIV.

Ut hæc omnia rite observentur, Custodi Bibliothecæ est vigilandum. Quodsi illius culpâ aliquid neglectum fuerit aut violatum, ipse tenetur.

§ XV.

Ad legendum, ad asportandos libros et reddendos quotidie Bibliotheca est aperta tempore hiberno ab horâ I ad horam IV, tempore æstivo ab horâ II ad horam VI; diebus festis et Mercurii exceptis.

§ XVI.

Quod de libris dictum est, idem de Ephemeridibus Literariis valet, si per tres menses in Museo Academico fuerint depositæ.

§ XVII.

Eæ autem, ut singuli fasciculi advenerint, ordine chronologico rite et adcurate in Indicem a Custode sunt referendæ.

VI.

PROGRAMMA

QUAESTIONUM,

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX

PROPOSITARUM

IDIBUS AUGUSTI MDCCCXIX.

ORATIO

FRANCISCI JOSEPHI HARBAUR,

PUBLICE HABITA

DIE XXIV APRILIS MDCCCXX,

QUUM RECTORIS MAGNIFICI MUNUS

DEPONERET.

Academiæ Lovaniensis Curatores, Viri Gravissimi, Amplissimi!

Qui In Hac Urbe Rebus Publicis Administrandis Et Justitiæ Vindicandæ Præestis, Viri Prænobilissimi, Splendidissimi!

Magnifice Rector, Reliquique Artium Ac Disciplinarum Professores, Viri Doctissimi, Clarissimi!

Commilitones Carissimi, Ceterique Auditores, Suo Quisque Loco, Ornatissimi, Spectatissimi!

Non sine summo animi dolore, in hunc suggestum ascendens, casus illius acerbi sum recordatus, qui in causâ fuit, ne Rectoris

dignitatem, præsens in præsentem Successorem solemni modo transferrem. Nam durum sane, sed eo sanctius officium in loco tristitiæ calamitatisque pleno me retinuit, quum tam felici mihi esse contingere debuisset, ut coram Illustri hâc Concione uberius exponerem, quanta tam brevi tempore et perpetuum Regis Augustissimi patrocinium, et optimis Professorum consiliis juncta industria, et Studiosorum Adolescentum mores diligentiaque huic Academiæ adtulerint incrementa. Sed placuit ita Supremo Numini, ut, quo tempore administrandâ hâc oratoris provinciâ mihi fuisset lætandum, testis ipse essem illius jacturæ, quâ facere vix majorem potuit Augustissima Regia domus, quâ paupertas item et inopia in his terris firmissimo privata est præsidio.

Ut vero ad solemnia quibus celebrandis hic sumus congregati, accedam; nec locus amplius erit nec tempus, ab initio singula repetendi adcurateque persequendi. A tribus enim ab hinc annis, ex quo antiquissima hæc Musarum sedes singulari Regis munificentiâ est instaurata, ad augendam eam et illustrandam laudabilia multa esse præstita nemo ibit infitias, quamquam plura etiam et graviora restant peragenda. Quod si vero tardius cuiquam in nonnullis rebus progredi Academia videatur, ei est perpendendum, calamitates istas quibus Europa per longum tempus afflicta jacebat, ad publicas quoque scholas depravandas et omnino ad debilitanda literarum studia maximam vim exercuisse. Quid enim præclari admodum de illis scholis est exspectandum, quæ id solummodo sibi propositum habent, ut rei bellicæ studium in Adolescentum animis excitetur et nutriatur?

Verum enim vero egregia multa prædicare de progressibus possim, quos anno proxime elapso singula fere hujus Acade-

miæ instituta fecerunt. Eo enim, ut hoc tantum utar, adquisitio Horti Botanici est referenda, in quo disponendo et instruendo tantum jam est profectum, ut ex ejus adspectu summa quæque liceant augurari; eo item pertinet Aedificiorum Academicorum, quibus vix usquam magnificentiora reperiri queant, incepta restauratio; librorum, qui in Bibliothecâ publicâ adservabantur continuata dispositio et recens in omni doctrinarum genere emtorum tanta accessio, ut, quum antiqua Bibliotheca capiendis illis non amplius sufficeret, de tribus aliis œcis illi adjiciendis esset cogitandum. Quod attinet ad Apparatum et Instrumenta lectionibus Physicæ, Chymiæ variarumque Historiæ Naturalis partium inservientia, eorum incrementa Successoris Clarissimi eloquentiæ amplam dicendi materiam suppeditabunt.

Laudanda porro est splendida Nosocomii Civilis institutio, ubi curæ in sanandos pauperes collatæ egregiam simul Medicinæ Studiosis offerunt opportunitatem, in omnibus hujus disciplinæ partibus moderante Professore se exercendi. Accedit magnum Militare Nosocomium, sapientissimo Regis Consilio cum Academicâ institutione conjunctum, quod geminat occasionem discipulis, quæ in Professorum scholis perceperunt, ea confirmandi et amplificandi. Quam rem cum egregiam Civibus Academicis utilitatem adferre vidissent Ordinis Medici Professores, ad conjunctionem illam arctiorem etiam efficacioremque reddendam illud sibi faciendum existimaverunt, ut vicissim, quicumque Militares Medici frequentandis in Academiâ scholis, quæ ante didicissent augere vellent et instaurare, gratuito ad illas admitterentur.

Atque in hunc locum delatus non possum, quin Viris Huma-

nissimis, qui administrandis Hospitiis Publicis sunt præfecti, gratum animum profitear pro singulari studio ac benevolentiâ, quâ et conatus meos Nosocomium Civile instaurandi emendandique et Clinicen, quæ dicitur, ad singulas Artis Medicæ partes pertinentem instituendi consilia egregie adjuvare, numquam recusarunt. Nam hâc ipsâ benevolentiâ, quâ emendationes propositas usque et probaverunt illi et promtissime exsequi jusserunt, illud effectum est, ut, præter peculiare ædificium exercendæ Arti Obstetriciæ destinatum, alia quædam conclavia concederentur ad exercitationes de sanandis morbis tam internis quam externis instituendas. Unde merito sperare licet, Clinicam hanc Scholam cum optimis quæ per Europam florent, brevi tempore esse æmulaturam.

Sed dies deficiat, A. H., si adcuratius omnia recensere ac persequi velim, quæ adhuc ad ornandam hanc Academiam laudabiliter sunt peracta; et ipsum propositum, quo hic sumus congregati, me admonet, ut, angustioribus me terminis continens, in præmiis legitime distribuendis nunc adquiescam.

Cum autem Rex Sapientissimus, cui non nisi totius Patriæ ac Civium singulorum salus et prosperitas obversatur, ingenio Studiosorum, industriæ ac bonis moribus præmia proponi voluerit; id potissimum spectavit, ut a reliquis distinguerentur erectioris indolis Adolescentes, qui gravium sane officiorum aliquando obeundorum conscii, omnes cogitationes omnemque operam eo dirigunt, ut ad munera in Patriæ utilitatem administranda existant idonei, dignosque se exhibeant et summorum Reipublicæ Administratorum fiduciâ et Regis Augustissimi benevolentiâ, cujus consilii ratio uberius exposita exstat titulo quinto Constitutionis Regiæ de Universitatibus instituendis.

Quoniam itaque, qui studiorum specimen publicâ luce haud indignum edere velit, in eo non voluntas tantum ac diligentia, verum etiam usus ac diutius continuata exercitatio requiritur; exspectandum vix erat, jam altero instauratæ hujus Academiæ anno exhibitum iri Commentationes, cum doctis illis ac perpolitis aliarum Academiarum Dissertationibus, in quibus perlegendis discipulum a magistro discernere interdum difficile est, ullâ ratione componendas. In dijudicandis autem qui nobis exhibiti sunt commentariis illud quoque est considerandum, paucissimos eorum, qui studiis nunc in harum Provinciarum Academiis operantur, in Scholis inferioribus eos fecisse in Literis progressus, qui ad adcuratam sibi et solidam doctrinam comparandam sunt necessarii et legibus nostris in posterum severe exiguntur.

Atque ita persuasum habentes ad præmia ipsa distribuenda progredimur, neque extimescimus, ne apud eruditiores in nimiæ indulgentiæ reprehensionem incurramus. Ipsimet enim probi et ingenui Adolescentes, quorum Dissertationes præmiis duximus esse ornandas, optime sentiunt, quanti ipsis labores exantlandi restent, ut Regis Sapientissimi votis omnino respondeant. Intelligunt ipsi, se minus doctrinæ remunerationem accipere quam diligentiæ et assiduitatis in Literarum studiis collocatæ.

Attamen diversarum Ordinum alius alio felicior exstitit. Ordo Medicorum plures accepit Commentationes, quarum auctores et ingenium produnt et industriam haud contemnendam; at desideratur in iis maturitas, deprehenditur nimia festinatio, quâ spatium Academicum percurrere voluisse auctores videntur, neglectis Philosophicis, Physicis et Mathematicis

studiis, quibus judicium in scribendo regendum erat et confirmandum. Quacirca non sine doloris sensu hic Ordo judicavit, nulli eorum præmium esse decernendum. Felicior fuit Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum, qui præmium deferendum esse existimavit JOANNI BAPTISTÆ MOTTE *ex Viesville*, ejusdem Ordinis Candidato, quo præclarum juvenis ingenium ad majora suscipienda excitaret, ejusque assiduitatem remuneraretur, quæ, licet plurima ad scriptionis perfectionem desint, tamen egregia quæque de illo exspectare jubet.

Ordini Philosophiæ et Literarum Humaniorum unam accipere Dissertationem contigit, in quâ, si ab oratione Latinâ et levioribus quibusdam vitiis discesseris, nihil fere reprehendendum videretur. Auctorem illa habet CAROLUM IMBERT *Brugensem*, in hâc Academiâ Juris Candidatum. Ex animo igitur gratulor Doctissimis hujus Ordinis Professoribus, qui nihil prius nihil antiquius habent quam ut Literarum et veræ eruditionis amorem in discipulorum animis excitent.

Neque vero silentio prætermittendum esse videtur, eidem Ordini ad duas reliquas ejus Quæstiones duas item Commentationes esse exhibitas, quibus auctores tam argumenti in suas partes describendi dexteritatem quam diligentiam, quâ ad finem usque illud persecuti sunt, summopere Ordini probaverunt. Sed cum et doctrinæ copia criticaque ratio in iis desideretur, et oratio Latina vitiis ac barbarismis sit inquinata; quæ typis exscriptæ publicam lucem viderent, hæ Dissertationes indignæ sunt judicatæ. Quoniam fieri itaque non potuit, ut præmia legibus determinata illis decernerentur; schedulis quibus auctorum nomina continentur, non reclusis ad Acta Ordinis Philosophorum depositæ sunt. Attamen,

ne debilitarentur laudabilia juvenum studia, sed animi iis adderentur ad supplenda ea, quæ ad justum doctrinæ modum Latinique sermonis bonitatem adhuc deesse videntur, inscriptiones certe honoris causâ publice esse prælegendas duxerunt Ordinis Professores.

Altera igitur earum in fronte habet Boileavii illud :

Envain vous me frappez d'un son mélodieux,
Si le terme est impropre ou le tour vicieux.

Altera hoc Homerico versu est inscripta :

Ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης.
Ἐμοὶ δ'οδύνας τε γόους τε
Κάλλιπεν.

Itaque sperare nobis licet, eosdem discipulos in eodem genere posthac majori cum successu esse periclitaturos, ut victores possint renunciari.

Non minori fortunâ usus est ordo Jureconsultorum, qui quinque ad eamdem quæstionem Dissertationes accepit, doctrinâ et scribendi facultate plus minusve commendabiles; ut difficile fieret judicium, ac de duabus potissimum diutius fluctuarent hujus Ordinis Professores, utri sit præmium decernendum. Nam auctor Scriptionis, cui præfixum est illud Ciceronis dictum :

Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloriæ.

in argumento copiose tractando, exquisitam suam doctrinam et judicandi facultatem egregie explicavit, ac si ea, quæ ex Jure Positivo erant petenda, tam diligenter et adcu-

rate tractasset quam alteram partem, quæ in exponendis Juris Naturalis principiis versatur, reliquos omnes longe superasset. Verum re adcuratius consideratâ dignissima judicata est a plurimis Ordinis Professoribus Dissertatio cui hæc verba sunt inscripta :

Absque labore nihil.

cujus schedula aperta prodidit nomen GUILIELMI CAROLI VICTORIS VAN DEN DALE, *Lovaniensis.*

Non dubito, Optimi Collegæ, uti me ipsum, ita Vos omnes summo perfusos esse gaudio, quod jam altero constitutæ Academiæ anno finito his laudibus ornare nobis licet Adolescentes et ingenio moribusque et assiduitate ac diligentiâ præstantes. Quod majus, quod efficacius studiorum ac multiplicis laboris incitamentum quærere possint Doctissimi Professores, quibus ejus modi discipuli contigerunt? Quam majorem lætitiam percipere possint parentes, quorum filii in rerum honestarum studiis tempus collocantes in antecessum significant, ad liberalem eorum institutionem non frustra sumtus erogari, sed uberrimos potius aliquando in totam familiam fructus inde esse redundaturos? Quâ tandem affici voluptate existimatis Regem Augustissimum, ubi sapientissimas suas leges jam effectum præstitisse intellexerit, ubi se venisse viderit in spem jucundissimam, eo certius posthac a reliquis internoscendi viros et egregiis animi dotibus et eruditionis laude insignes, qui præ ceteris digni sunt habendi quibus graviora Reipublicæ munera in Patriæ utilitatem administranda committantur? Quo vicissim animo unumquemque nostrum affectum esse erga Optimum Principem decet, erga Largissimum hujus Academiæ et Fundatorem et Protectorem?

Ut vero ad Vos me tandem convertam, Juvenes Humanissimi, qui primi illustre condiscipulis exemplum præbuistis, ut Senatus Academici, Præceptorumque Vestrorum nomine significem, quanto nos gaudio affeceritis; in medium prodire Vos jubeo, ingenii ac solertiæ præmia accepturos.

Accedas igitur, Juvenis Humanissime, JOANNES BAPTISTA MOTTE, ut præmium Tibi impertiar ab Ordine Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum decretum.

Tu item, CAROLE IMBERT, pretium certaminis in Ordine Philosophiæ et Literarum Humaniorum de manu meâ accepturus.

Compareto, Vir Ornatissime, GUILIELME CAROLE VICTOR VAN DEN DALE, qui summos jam in Jure honores es adeptus, peractis tam laudabiliter studiis, ut Tua diligentia laborisque constantia merito reliquis discipulis in exemplum proponatur.

Trado itaque Vobis ad articulum CXLVII Constitutionis Regiæ de U. I. hæc honoris ornamenta. Ubi cum competitoribus aliquando in obtinendis muneribus publicis Vobis erit contendendum, ut certissima dignitatis indicia in medium illa fidentes profertote!

Atque officio hoc meo, honoris jucunditatisque pleno, legitime perfunctus continere me non possum, A. H., quin animi dolorem Vobis significem, quod Illustris hujus Scholæ spatia mihi erant relinquenda, ubi Viri tam ingenii quam doctrinæ laude præclari omne studium omnemque operam eo conferunt, ut, juventute bene instituendâ et ad omnem rerum divinarum humanarumque scientiam informandâ, quam fieri maxime possit, Reipublicæ commodis ac prosperitati inser-

viant. Equidem in portum me prope pervenisse existimaveram, cum diem adventare vidissem, quo Rectoris Academici provincia transferenda esset in eum successorem de cujus integritate morum ac mansuetudine non minus quam negotiorum gerendorum multiplici usu diuturnâque experientiâ, firmatâ dexteritate sperare nobis merito liceret, quæ adhuc in promovendâ Academiæ salute se objecissent impedimenta, brevi omnia sublatum iri. Verum aliter decrevit Deus Ter Optimus Maximus, qui ad aliud interea me munus vocavit, ut honorificum illud ita difficile laboribusque plenissimum. Attamen solatium adferre solet, quod posthac etiam non penitus a rerum Vestrarum communione sejuncto in lætitiæ illius, quam ex augendo usque hujus Academiæ splendore capietis, societatem mihi venire licet. Neque enim spes omnis mihi præcisa est, ad Vos aliquando redeundi, Collegæ Astumatissimi, cum melius meruero, ut otio illo ac tranquillitate fruar, quæ in eà solummodò vitæ conditione mortalibus contingit, ubi propius tandem ad finem illum se accedere sentiunt, quem optimis ducti consiliis diutius longiusque sunt persecuti.

Nihil restat quam ut gratias agam Amplissimo Curatorum Collegio, Senatui Academico et Lectissimis Adolescentibus, Publicis item Urbis Magistratibus, tam Civilibus quam *Militaribus*, quod præsentiâ suâ hanc solemnitatem condecorare voluerunt. Semper mihi illorum benevolentia et Virorum præcipue qui administrandis Hospitiis Publicis præsunt, acerrimum conatus meos numquam non adjuvandi studium erunt prædicanda. Gratum igitur animum, Viri Ornatissimi, publice Vobis hisce profiteor, impense rogans, ut in posterum quoque semper eàdem erga me esse voluntate velitis.

VALETE!

IX.

MONITUM

FRANCISCI JOSEPHI HARBAUR

AD LECTOREM UTRIUSQUE ORATIONIS,

QUAS HABUIT DIE III OCT. MDCCCXVIII ET DIE XXIV APRIL. MDCCCXX.

FRANCISCUS JOSEPHUS HARBAUR

AD LECTOREM UTRIUSQUE ORATIONIS,

QUAS HABUIT

DIE III OCT. MDCCCXVIII ET DIE XXIV APRILIS MDCCCXX.

Cum eximio Regis Augustissimi beneficio et singulari fiduciâ, quam in me posuerant Collegæ Astumatissimi, binis prioribus annis in me collatum esset munus Rectoris Academiæ Lovaniensis nuper instauratæ; accidit, ut in illud incideret tempus mea hujus muneris administratio, quo plurima quæ ad bona Academiæ initia necessaria requirerentur, aut denuo essent paranda aut siquæ aderant, haud exiguo studio atque labore disponenda et ordinanda. Multum sane tum erat laborandum nobis et contendendum, quo quæ Regiâ erant munificentiâ concessa, et adipisceremur et accepta commode ac legitime impenderemus. Nec minores nobis difficultates inde exoriebantur, quod de interpretandis exsequendisque decretis ac de statutis conficiendis aliæ erant aliorum sententiæ, quas singulas oportebat adcuratius examinari et inter se conciliari, ne plus ex præcipitatis consiliis detrimenti caperet Academia quam emolumenti et stabilitatis e sedatâ et consideratâ agendi ratione. Accedit quod Viri Honoratissimi, unde componi Serenissimus Princeps voluerat Curatorum Collegium, quibusque potissimum illarum cura rerum et administratio incubuerat, eo ipso tempore publicis partim occupationibus hinc abesse

cogebantur, partim sedem suarum rerum ac domicilium nondum hâc in urbe collocaverant. Quamobrem, ne innumeris retardarentur impedimentis Academiæ progressus, nihil mihi reliquum erat, quam ut ipse, satis magnâ quæ a Rectoris officio abhorrerent negotiorum parte in me receptâ, duplici vel triplici potius personâ indutus res illius gravissimas moderarer et administrarem. Nam nec Professoris muneri deesse volui, quo eo fuit difficilius, quia prælectiones Clinicæ et exercitationes mihi erant demandatæ, neque ulla eam ad rem subsidia et adjumenta suppetebant: quæ ut prospicerem diu luctandum fuit, multaque impedimenta superanda, quæ non errores tantum et præjudicatæ opiniones, sed nescio quæ pertinacia et consiliorum pravitas optimæ cuique rei et recentissimæ inferre maxime solet.

Atque sic ancipiti semper contentione assiduisque laboribus districto prioris anni exitus et ille mihi dies obrepsit, ubi ex legis præscripto publice erat oratio habenda, nec tantum contigit otii ac tranquillitatis, ut ad hoc orationis officium ita me accingerem, prout et legis sententia et rei ipsius gravitas postulare viderentur. In simplici igitur earum rerum quæ hoc anno accidissent enarratione esse adquiescendum arbitrabar: ampliorem et muneris dignitati accommodatam orationem ad insequentis anni finem reservaturus, quâ neglecta quodam modo compensarem.

Sed cum eo me tandem pervenisse existimassem, ut negotiis aliquantum imminutis per feriarum otium serio possem versari in oratione aliquâ, ita ut et nostris legibus et laudabili Majorum consuetudini satisfieret, adcurate ac diligenter elaboranda, quâ ineunte tertio anno magistratum Academicum

in Successorem transferrem et præmia Adolescentibus, qui Regiâ liberalitate a singulis Ordinibus digni essent judicati, solemni usu impertirer; ecce! nec opinata me tempora repente hinc evocarunt, et arduum munus ac difficile, quod recens mihi erat impositum totumque me occupatum tenebat, tantum aberat, ut exoptatum meditandi otium relinqueret, ut vel simplex præmiorum distributio ac muneris Academici abdicatio præstituto die fieri a me nequiret, sed in medium annum Academicum esset differenda. Itaque invito mihi supersedendum erat oratione copiosiori, quâ locum aliquem ex eâ ipsâ quam profiteor disciplinâ ita eram tractaturus, ut Academiæ illius antiquissimæ splendor et gloria desiderare videbantur. Neque has meas narrationes cum præstantissimis illis orationibus, quæ a Professoribus septentrionalium hujus Regni Academiarum iisdem opportunitatibus in lucem eduntur, ullâ ex parte posse comparari, præ me fero et fateor ingenue. Quorum cum exquisitam eruditionem tum miram quamdam dicendi facultatem et copiam ut aliquando et ipsi assequamur, et vehementer optamus et acerrimo studio contendimus. Atque hæc sunt, quæ ut de duabus meis oratiunculis monerem, et ipsius officii ratio et Academiæ dignitas et Collegarum Doctissimorum existimatio exigere videbantur.

X.

GUIL. CAR. VICT. VAN DEN DALE

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM.

GUIL. CAR. VICT. VAN DEN DALE

LOVANIENSIS,

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI

STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM :

Quid sit traditio? Quonam jure et quibus datis casibus ad dominium transferendum requiratur? Quænam præter eam alia sint requisita? Quid denique circa ea jure hodierno constitutum?

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST, HOC INSCRIPTA LEMMATE :

Absque labore nihil.

GUIL. CAR. VICT. VAN DEN DALE

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM JURIDICAM.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit traditio?

Traditionis significationem propriam, naturalem et quodam modo absolutam ut rite indagemus, abstrahendum nobis est ab omnibus causis externis quibus quis ad tradendum *mediate* moveri possit, tum etiam ab effectibus ex traditione *mediate* prodituris, prout diversa traditionis causa exstiterit, diversis; eaque in sensu universali, quatenus simplicem dumtaxat et naturalem tradendi actum importat, consideranda, respectu unice habito ad effectum immediatum, hunc tradendi simplicem et naturalem actum necessario sequentem.

Hisce præmissis, traditionem rectius definiri nullo alio modo posse, docente Domino De Bruyn, existimamus, quam *naturalem rei præstationem, quâ rem alterius potestati subjicimus.* Nam quod primo hujus definitionis intuitu in nobis dubium suscitavit vox *præstatio*, an scilicet non potius simplicem oblationem rei sonaret quam veram traditionem, quæ adesse non intelligitur nisi res oblata ab eo cui offertur, acceptetur, hoc omne sustulit latini idiomatis interpretum (1) quorum hunc

(1) Imprimis Vossii, Pitisci, Heinecci et aliorum.

in finem consilium quæsivimus, auctoritas. Utque minus adhuc vox hæc in sensu ambiguo versaretur, verba definitionis ultima non eadem quæ a Domino De Bruyn prolata sunt, retulimus; sed cum hic verborum sensus esset : *Traditio est naturalis rei præstatio quam alterius potestati volumus subjicere*, hunc substituimus : *Naturalis rei præstatio quâ rem alterius potestati subjicimus*, ut intelligeretur eo facilius accipientis actus præsens.

Hanc vero traditionis definitionem traditioni quam maxime congruere, per se admodum patet. Scilicet traditio est *naturalis præstatio ;* res enim quæ specie suâ tales sunt, ut in ipsas non cadat actus præstandi naturalis, ut in alterum ab altero naturali actu transmitti non possint, proprie loquendo tradi nequeunt, sed *quasi* traduntur, ut mox dicemus.

Traditio est naturalis rei præstatio, quâ rem alterius *potestati* subjicimus. Hic enim necessarius et immediatus traditionis effectus est, ut quæ traduntur, accipientis *potestati* subjiciantur. Dicimus *potestati*, non *dominio ;* nam qui tradit, non semper rei traditæ dominium transfert : non *possessioni ;* nam recte Dominus Maurissen monet, per traditionem possessionem quoque necessario non transmitti, adeoque minus aptam esse quam de traditione definitionem tradunt Cujacius, Perezius (1) et cum ipsis alii non nulli, eam esse *possessionis dationem.* Sed forsan objicietur, hæc verba definitionis ultima supervacua atque inutilia prorsus esse, cum, nobis ipsis annuentibus, effectum rei præstationem necessario sequentem importent; adeoque potius omittenda quam adjicienda, siquidem ipsis adjectis nil plus dicatur,

(1) V. Perezium ad Instituta lib. 2, tit. 1, de traditione. Voet ad Pand. de A. R. D. n. 35. De Ferrière ad Inst. idemque ad Pand. tit. eodem.

quam si traditio *naturalis rei præstatio* (cæteris omissis) simpliciter definita fuisset. Sed quamvis rei præstatio hunc habeat naturalem effectum, ut res præstita alterius potestati subjiciatur, quamvis proinde rei præstatio intelligi non possit, quin etiam intelligatur rei in alterius potestatem translatio; attamen hunc eumdem effectum in definitione determinandum sustinemus, tum quia res quælibet definiri potissimum debeat ab effectibus ejus necessariis, ut distinctius ea explicetur, tum ut eo facilius (ut diximus) pateat, traditionem ab uno in alterum actu præsenti rem præstitam percipientem fieri, tum etiam quia rei præstatio, licet fieri non possit ut rem alterius potestati non subjiciat, tamen alios insuper effectus mediatos, puta dominii translationem, possessionis dationem, etc. producat, possibile est. Qui cum necessario non producantur; illum qui necessario producitur, exprimimus et exprimendum esse sustinemus. Jam vero ex nostrâ definitione patet, tradi non posse nisi res quæ naturaliter alteri ab altero præstari possunt, sive res corporales; non vero incorporales, utpote quæ tangi aut demonstrari nequeunt sed animo tantum cerni atque intelligi, quæ materiales non sunt sed in jure consistunt. Unde in rebus incorporalibus necesse fuit admittere *quasi-traditionem*, hoc est factum quod vice traditionis fungeretur. Factum porro hoc consistit plerumque in patientiâ domini sinentis ut suâ re alter frueretur et in alterius exercitio (1). Hæc de quasi-traditione sufficiant.

Tradi igitur possunt res corporales omnes cujuscumque generis sint. Ast cum ea rerum natura sit, ut alias præstemus, tradamus eo modo quo aliæ præstari, tradi non possunt, has præstemus eo modo quo non illas; manifestum est, pro

(1) V. VINNIUM ad Inst. lib. 2, tit 1, § 40.

singulo tradendi modo singularem definitionem dari posse. Unde traditio rerum mobilium definitur : *de manu in manum datio*, immobilium definitur : *in fundum inductio* (1).

Sed egimus huc usque de verâ et naturali traditione. Cæterum si in cunctis vitæ negotiis vera et naturalis rei præstatio usque intervenire pro traditione deberet; sæpius inutili circuitu opus esset, ut ad finem propositum perveniretur. Ergo commoditatis gratiâ, ex publicâ utilitate leges permiserunt, ut aliquando traditio vera et naturalis non interveniret; sed intervenisse fingeretur, cum reverâ non intervenerit, aut notâ sive symbolo sive actu quodam corporali repræsentaretur. Hinc ortæ traditiones *fictæ* et *symbolicæ*, nequaquam confundendæ (2), cum in his factum aliquod externum vice traditionis fungens requiratur, in illis factum nullum adhibeatur quod traditionem repræsentet, sed ipsa vera et naturalis traditio, cum reverâ non adsit, adesse tamen fingatur.

Traditionis *symbolicæ* (quæ sic definiri potest : *rei ab unius potestate in potestatem alterius translatio per notam, symbolum aut actum aliquem corporalem, traditionis vice fungentem*) Justinianus exemplum refert in § 45 Inst. de rer. div., si mercibus certo loco conclusis, quas dominus mihi tradere velit, claves ejus loci mihi tradantur. Sunt autem hujus generis et aliæ species, veluti traditio instrumenti, quo tradito res ipsa de quâ alienandâ in eo agitur, tradita intelligitur. L. 1 Cod. de donat.. Trabium et tignorum obsignatio pro eorum traditione valet. L. 14, § 1 ff. de periculo

(1) V. Rogen. ad Inst. l. 2, tit. 1, de traditione. Voet. ad Pand. lib. 41, tit. 1, nº 34.

(2) Etsi confundant eas Voet ad Pand. lib. 41, tit. 1, nº 34 et De Ferrière ad Inst. idemque ad Pand. de A. R. D.

et commodo rei venditæ. Item custodis appositio, si res non facile loco moveri possit propter magnitudinem ponderis. L. 1, § pen. ff. de acq. poss.. Potest et sine notâ actus aliquis traditionem repræsentare; nam si in re præsenti et apertâ dominus eam manu indicatam mihi tradere dicat, ego sim hoc animo, ut velim rem indicatam sub potestate meâ sumere; perinde hoc habetur, ac si pedem finibus intulissem, corpore ac manu rem apprehendissem. L. 1, § pen. et L. 18, § 2 ff. de adq. et amitt. poss.. Et est hoc quod vocari solet traditio *longæ manus*, quam proinde, auctore celeberrimo Vinnio, ad symbolicam potius quam ad fictam traditionem retulimus.

Sunt denique qui quasi-traditionem quoque aiunt speciem esse traditionis symbolicæ, cum in quasi-traditione quoque veniat factum quod loco traditionis ponatur. Sed quamvis similitudo non nulla sit, attamen quasi-traditionem inter traditiones symbolicas annumerari non posse existimamus; siquidem quasi-traditio loco traditionis admittatur ideo quod ipsa traditio adesse non potest, adeoque quasi-traditione traditio non repræsentetur (cum impossibilium repræsentatio haberi non possit), sed potius per quasi-traditionem traditioni suppleatur.

Fictæ traditionis (cujus hæc definitio traditur: *ficta rei præstatio, quâ res ab unius in alterius potestatem translata censetur, quæ reipsâ ab illo in hunc translata non fuit*) (1) Justinianus rursus exemplum offert in § 44 Inst. de rer. div., siquis rem quam tibi commodaverit aut locaverit aut apud te deposuerit (vel etiam pignori dederit. L. 9, § 1 ff. de publicianâ in rem actione), postea aut vendiderit tibi aut do-

(1) Voet. ad Pand. lib. 41, tit. 1, nº 34.

naverit aut dotis nomine dederit. Quamvis enim ex eâ causâ tibi tradita non fuerit, sed apud te remanserit; fingitur tamen eâ causâ tibi tradita fuisse, quasi res tibi commodata, locata, etc., domino qui eam postea tibi vendidit, restituta, atque ab eo mox tibi tradita fuisset. Etenim quod dicto § habetur, interdum sine traditione nudam voluntatem sufficere ad rem transferendam, non ita accipiendum est, ut nuda ab omni prorsus traditione voluntas sufficeret; sed nuda ex comparatione ejus rei cui hoc loco opponitur, nuda a naturali et verâ traditione quæ causam transferendi sequitur (1). Et hoc quidem patet ex verbis ipsis hujus § ultimis, et cæteroquin certum est; cum rerum dominia de quibus transferendis hoc § agitur, non nudis pactis sed traditione inter vivos transferantur.

Probavimus itaque, § 44° exempla fictæ traditionis contineri; præterea et in compensationibus quoque ficta traditio subest (2), et in societate universali initâ (3) bona sociorum præsentia tradi non debent, ut communicentur, sed tradi finguntur. Sed datur et alia alterius speciei ficta traditio in jure, ut ecce: si eum qui tibi debebat jusseris alii solvere, in quâ cogitatio talis est: creditur res tibi debita, tibi a debitore tuo, et alteri postea a te tradita (4). Cæterum eadem fictio et in his intervenit, quæ *singulariter* circa pecuniam creditam recepta esse scribit ULPIANUS in L. 15 ff. de reb. cred., sive res geratur inter tres personas, veluti si Titium pecuniam quam mihi debebat

(1) VINNIUS ad Instituta lib. 2, tit. 1, § 44.

(2) L. 1 et 3 ff. de compensationibus.

(3) L. 1, § 1 ff. et l. 2 Cod. pro socio.

(4) L. 3, § pen. et ult. ff. de don. int. vir. et uxor. L. 43, § 1 ff. de jure dotium.

jusserim Seio mutuo dare, sive inter duas, puta si convenerit, ut pecuniam quam tu mihi ex mandati causâ debes, crediti nomine retineas. In utrâque enim hâc specie fingitur mihi tradita pecunia et a me ad te aut ad Seium profecta. Quamquam Africanus stricti juris retinentior fictionem istam non videtur admittere in specie posteriori in L. 34 ff. mandati (1), sententia tamen Ulpiani, quod in uno casu admittitur ad alterum extendentis, ex eâdem utilitatis publicæ causâ prævaluit (2).

Porro casus in quibus ficta traditio admittitur, paulo distinctius proponimus, quia præter casus in jure expressos ficta traditio admittenda non est; fictionis enim eadem fere natura est, quæ exceptionis, ita ut ad casus similes non possit extendi.

Ultimo reflectendum, *brevi manu* factum vocari quidquid fit per traditionem fictam, unde idem sonat ficta traditio et traditio *brevi manu* facta.

Superest ut aliquid adjiciamus de traditione in personam incertam, cui lòcus, quando v. g. missilia jactantur in vulgus a Prætoribus (3). Sed Heineccius et cum Heineccio alii non nulli speciem traditionis hic esse negant, et potius subesse occupationem aiunt, hoc nisi ratiocinio : qui missilia jactat, ea pro derelictis habet, res pro derelictis habitæ fiunt nullius, quæ nullius sunt, cedunt occupanti. (4) Sed falsum. Nam qui pecunias ita spargit atque projicit, etsi in nul-

(1) Cujac. 8, ad Afric.
(2) Vinnius ad Inst. lib. 2, tit. 1, § 44.
(3) Inst. lib. 2, tit. 1, § 46.
(4) Heineccius ad Inst. § 379 — 384. Idem ad Vinn. § 46. Inst. h. t. 2.

lius certæ personæ destinationem fertur, et plane ignorat, quis quid earum sit acceptura; quia tamen palam est, velle eum, ut statim pecunia apprehendatur, et in quantum apprehensa est, fiat apprehendentis, ideo pecuniam potius traditam esse putamus, quam pro derelictâ habitam, cum eo animo non projiciat, qui rem pro derelictâ habet (5).

CAPUT SECUNDUM.

Quonam jure et quibus datis casibus traditio ad dominium transferendum requiratur?

Ad quæstionem primam jam inde responsio data a nobis est, optimo sane quo potuimus modo; an eo quo debuit dari, nescimus, speramus tamen. Sed porro quæsitum est: quo jure et quibus datis casibus traditio ad dominium transferendum requiratur? quod per partes videbimus.

§ 1.

Quo jure traditio ad transferendum dominium requiratur?

Ad malorum hominum fraudes avertendas, facinora coërcenda, furta inhibenda, quibus aversis, coarctis, inhibitis, pace non interruptâ vigeat respublica, gaudeant privati; le-

(2) Vinnius ad Inst. lib. 2, tit. 1, § 46.

ges in negotiis usu quotidiano magis obviis quædam servanda præscribunt, quibus non servatis ad finem propositum perveniri de jure civili non potest. Sic in transferendis dominiis traditionem præter alia requisita de quibus infra, desiderant, paucis exceptis quos mox indicabimus, casibus. Sed eorum quæ servanda legibus præscribuntur, alia ex ipso naturali jure desumpta sunt, alia jure civili introducta. Quod in traditione quatenus ad transferendum dominium requiritur, disquiremus.

Jus quod in rem aliquam acquisitum plene, perfecte, efficaciter nobis est, quodque specie suâ tale est, ut avelli a personâ nostrâ possit, separari a nobis et in alium transferri (sepositis quæ jure civili prodeunt, impedimentis) an possit, nulli dubium ullum est; modo adsint quæ adesse ex ratione juris naturalis debent, ut jus translatum intelligatur. Et quidem cum nemo jus suum nolens aut inscius amittat, nemo jus non suum nolens aut inscius acquirat; adesse debet transferendi jus suum voluntas in transferente, acquirendi illud in alio; tum etiam adsit naturalis transferendi potestas in uno, acquirendi in alio; deinde indiciis certis voluntas contrahentium interna exterius manifestetur; actus enim interni naturæ societatis humanæ non congruunt (1).

Indicia vero hæc varia esse, modo certa sint, possunt; utique non solum traditione sed et scripturâ et verbis et alio quovis modo voluntas hominum declaratur.

Unde sufficit de jure naturali, voluntatem signo quodam fuisse expressam; unde, quod in hâc re lege quæsitum est,

(1) Grotius de Jure Bell. et Pac. lib. 2, c. 6, § 1. lib. 2, c. 8, § 25.

ut traditione opus sit ad transferendum dominium potius quam alio quo velint cumque contrahentes uti signo, hoc jure civili, non naturali introductum merito dicitur. Sed objiciunt varia, et quidem 1° ipsa Justiniani ad § 40um Inst. de rer. div. verba hæc : *per traditionem quoque jure naturali res nobis adquiruntur*. Sed quid inde? traditionem jure naturali ad transferendum dominium requiri? Ast non eam fuisse mentem imperatoris, ex verbis sequentibus admodum patet, sed alio ipsum respexisse, nempe ad voluntatem domini volentis rem suam transferri in alium, quam ratam haberi, ubi de eâ per traditionem constat, æquitas naturalis maxime suadet.

Objiciunt 2°, dominium consistere in liberâ rei dispositione, atqui de re libere disponi non posse, nisi ea traditione potestati acquirentis subjiciatur. Sed distinguimus jus et facultatem disponendi; in jure dominium consistit; facultas autem essentialiter adesse non debet; nam jure domini gaudet cui tamen aliunde impedita est rei suæ dispositio, ut ille cujus rem fur abstulit.

Contrariam quoque sententiam VINNIUS (1) amplectitur, sed eum quoque in errore versari, quamvis error ipsi insolitus sit, existimamus. Nam quod ait, neminem jure gentium *facto suo* acquirere, nisi cujus potestati res subjecta est, verum esse affirmamus; sed inde nihil quoad hanc quam tractamus, quæstionem sequi sustinemus. Verum est, quod dicit, maxime verum, neminem facto suo acquirere, nisi cujus potestati res subjecta est, neminem occupatione, nisi rem occupaverit, neminem traditione, nisi cui res tradita est; sed

(1) VINNIUS ad Inst. lib. 2, tit. 1, § 40.

quis dicet, inde colligi posse, traditionem in acquirendis dominiis jure naturali requiri? Quin imo inde colligi non potest, quod tamen non negamus, occupationem requiri in dominiis originarie acquirendis, rerum scilicet quæ nullius sunt, et quæ, quia dominum non habent, communes esse non desinunt, nisi mediante facto naturali eâ communione eximantur.

Ergo probatum est, traditionem jure civili ad translationem dominii requiri, jure autem naturali traditione non potius quam alio quovis signo quod voluntatem exterius declaret, opus esse. Sed traditionem tamen requisitam fuisse multis gentibus observamus, atque ideo juris gentium improprie dictam; tum quia voluntas domini magis quam alio ullo signo manifesta fit traditione, quia scilicet re suâ semet ipse privat, ut alius eam capiat; tum quia traditione hoc singulare efficitur, quod alio signo non efficeretur, ut eadem res variis alienari non queat, alienata cum non intelligatur, nisi tradita sit, unde accipiens certior fit, sibi rem acquiri quam a domino accipit, aliis autem acquisitam non esse quibus porro non fuit tradita. His rationibus motæ gentes quam plurimæ, ut dicebamus, traditionem receperunt in transferendo dominio, sed non omnes; nam alicubi usurpatum videmus, ut professio apud populum aut magistratum et relatio in acta requiratur (1), et nostris temporibus in regione nostrâ traditio quoque amplius non desideratur, uti postea probabimus. Quod argumentum est non debile, quo confirmatur quod sustinemus, traditionem ad translationem dominii de jure naturali non esse necessariam; cum jus natu-

(1) Grotius de Jur. Bell. et Pac. lib. 2, c. 6, § 1.

rale immutabile sit, adeoque idem apud omnes gentes quas ratio naturalis ducit.

Ex scriptis demum constat, voluntatem transferendi in uno, acquirendi in alio, cum naturali potestate junctam et exterius manifestatam de jure naturali sufficere, ut dominium transferatur. Quæ vero jam sequntur, quamvis ea nullibi invenimus neque audivimus, quia tamen naturaliter nobis obvia venerunt, et eam quam sustinuimus sententiam firmamare possunt, hic nostrâ auctoritate paucis verbis subjicimus.

Nempe animadvertimus, illam transferendi et acquirendi voluntatem non nisi in rem per se certam (in speciem) conferri posse; nam in re per se non determinatâ, v. g. in genere vel quantitate dominium non concipitur. Utique si servum meum, cum unicum habeam, tibi volenti acquisitum velim, et de hâc nostrâ voluntate constet; servi dominium statim in te abire absque traditione posse concipimus. Sed si unum ex servis meis, cum plures habeam, non determinatum aut summam pecuniæ tibi stipulanti promiserim; quamdiu servus ullus determinatus non est, aut nummi non sunt assignati, neque in servi neque in nummorum dominium transferendum aut acquirendum voluntas intelligitur. Ubi vero determinatio facta est, nempe electione unius ex servis meis aut indicatione nummorum; voluntas in translationem ejus qui electus est servi, horum qui assignati sunt nummorum, statim aderit, adeoque dominium jure naturali transferetur, nullo quoque traditionis facto mediante.

Quod ideo posuimus, ne quis objiciat, traditionem tunc saltem jure naturali requiri, cum v. g. de summâ pecuniæ transferendâ agitur, uti fit in mutuo; quia pecuniæ dominium

translatum non intelligatur, nisi pecunia tradatur; id quod falsissimum est. Siquidem dominium pecuniæ jure naturali translatum intelligi possit, simul ac certos et determinatos nummos assignando suam in transferendum horum nummorum dominium mutuans, in acquirendum suam mutuatarius voluntatem manifestaverit, quod fieri sane aliter quam traditione potest v. g. indicatione loci quo similis pecuniæ summa deposita est. Porro si possibile esset, talem casum reperiri, in quo determinari res nullo alio quam traditionis signo posset; hoc casu, fatemur, traditione etiam de jure naturali opus esset. Sed casum hunc frustra quærimus; quo modo enim cumque vertamur, alium determinandi modum usque invenimus.

Itaque merito sustineri potest, traditio quoties requiritur ad dominium transferendum, toties hoc non jure naturali sed jure civili factum esse: cæterum non in omnibus omnino casibus ea desideratur, ut dominii translationi locus sit, de jure romano tamen in plerisque necessaria est, quapropter in sequente paragrapho indagabimus casus in quibus eam leges romanæ quæsiverunt.

§ 2.

Quibus datis casibus traditio ad dominium transferendum requiratur?

Progredimur ad partem quæstionis sequentem: *quibus datis casibus traditio ad dominium transferendum jure romano requiratur?* Cujus solutio ut rite fiat, distinguendum est inter varios, quibus dominia transferri possunt, modos, et de singulo disquirendum, an traditio intervenire debeat.

Imprimis autem certum est, traditionem intervenire non debere in iis casibus, in quibus alium modum dominii transferendi leges admiserunt uti in accessionibus (1) et præscriptionibus (2).

Deinde traditio intervenire non debet in iis casibus, in quibus dominium jubente lege transfertur. Nam ut fiat, quod ipso jure fit, traditione opus non est, et ideo in successionibus ab intestato dominium rerum ad hæreditatem spectantium in succedentem hæredem absque ullo traditionis facto transit.

Deinde, quia eadem vis ultimæ hominis voluntati data est, quæ legibus, traditione opus non est in his casibus in quibus dominium transfertur actu ultimæ voluntatis, veluti hæredis institutione testamento factâ. Hæres enim testamento scriptus, si suus defuncto hæres sit, ipso jure absque ullo ejus facto, quinimo ignorans etiam dominus fit rerum ad hæreditatem spectantium (3), ita tamen ut gaudeat beneficio abstinendi (4). Et eadem quoque dicenda veniunt de hærede necessario, sive de servo hærede, qui, velit nolit, post mortem testatoris protinus liber fit et hæres ex Inst. lib. 2, tit. 19, § 1, ita tamen ut hic non habeat beneficium abstinendi, quod suis hæredibus concessum est. Sin extraneus sit

(1) Inst. l. 2, t. 1, § 19 et seqq. Grotius de Jure Bell. et Pac. lib. 2. c. 8. § 18, 19, etc.

(2) Inst. l. 2. t. 6.

(3) Vivente enim adhuc testatore jamjam quodammodo dominus existimatur. Inst. lib. 2. tit. 19, §. 2. Ideoque post ejus mortem quasi continuat dominium. L. 11. ff. de lib. et posth. Quo fit ut suus hæres ipso jure hæres existat. Vinnius ad Inst. lib. 2, tit. 19, § 2.

(4) Inst. lib. 2, tit. 19, §. 2, in fine.

hæres sive voluntarius, tunc saltem dominus fit, cum hæreditatem sibi delatam expresse vel tacite adierit, idque cum effectu retroactivo, quo dominus fuisse a momento mortis defuncti censetur (1).

Idem quoque fit in rebus legatis, quarum dominium a momento aditæ hæreditatis in legatarium etiam sine traditione abit, *modo species ad testatorem vel hæredem ejus spectans pure legata fuerit.*

Nempe sublatâ, quam inter varia legatorum genera, vindicationis scilicet, damnationis, etc., veteres subtiliori ratiocinio laborantes admiserant, differentiâ Justinianus defunctorum voluntates validiores esse cupiens, et non verbis sed voluntatibus eorum favens disposuit, ut omnibus legatis una esset natura, et quibuscumque verbis quid legatum esset, hoc persequi liceret, quemadmodum antea persequi solummodo licebat quod per modum vindicationis relictum erat, nempe non tantum actione personali ex testamento, sed et actione *in rem* seu rei vindicatione; adeo ut jam dici queat, rei legatæ dominium ipso jure absque ullo hæredis facto, adeoque nullâ traditione interveniente abire in legatarium (2), rebus scilicet generaliter conspectis; exceptiones enim tum ex lege tum ex naturâ rerum prodeuntes mox indicabimus.

Ast quamvis certum habeatur, rerum legatarum dominium novâ Justiniani constitutione absque traditione in legatarium abire; non æque certum esse videtur a quo momento illa dominii translatio operetur. Nos existimamus, illam ope-

(1) Ne scilicet partim testatus, partim intestatus moriatur.
(2) Inst. lib. 2. tit. 2. §. 2.

rari a momento aditæ hæreditatis, non a morte defuncti, uti quidam sustinent, neque cum effectu retroactivo, uti alii volunt; et existimamus ob legem 69 ff. de legat. I, ubi decisum est, *aditâ* tantum *hæreditate* servum legatum legatario adquiri, item ob legem 86, § 2 ff. eod., ubi verbis expressis quoque definitur, legatum legatarii esse intelligi ex die aditæ hæreditatis.

Nec obstat quod mox posuimus de hærede extraneo, qui si hæreditatem adierit, res ad hæreditatem spectantes suas facit cum effectu retroactivo, ita ut dominus fuisse censeatur a morte defuncti. Hoc enim admissum diximus ob juris necessitatem, ne, si dominium hæredi hæreditatem adeunti demus tantum a momento aditionis, pro eo tempore quod aditionem præcesserit, intestatus defunctus habeatur, testatus pro tempore quod aditionem subsequitur, adeoque pro parte testatus pro parte intestatus decedat, quod principiis jure romano admissis adversatur. Ast eadem ratio nequaquam venit in legatario legatum accipiente, ideoque nec eadem retroactio admittenda videtur.

Legis autem 80 ff. de legat. II. verba hæc : *legatum ita dominium rei legatarii facit, uti hæreditas hæredis res singulas,* ex quibus inferri solet, legatario rei legatæ dominium adquiri ab aditâ hæreditate cum effectu retroagente ad mortem testatoris, quemadmodum et hæredi dominium hæreditatis, sic interpretamur : legatum ita dominium rei legatarii facere, nempe ipso jure absque ullo traditionis facto, uti hæreditas res singulas absque traditione quoque hæredis facit.

Cæterum hæc ideo posuimus, quia lucem magnam afferunt et viam quasi aperiunt sequentibus. Strictius enim loquendo nihil interest, utrum a momento aditæ hæreditatis tantum, an

alio modo dominium rei legatæ in legatarium transeat : hoc solum refert et ad quæstionem quam tractamus spectat, an rei legatæ dominium in legatarium abeat sine traditione.

Et diximus, rei legatæ dominium sine traditione in legatarium abire (a momento aditæ hæreditatis), *modo species ad testatorem vel hæredem ejus spectans pure legata fuerit.*

Diximus autem, si *species* legata fuerit; nam si *genus* legatum sit, alia dicenda veniunt. Et quidem distinguimus, an, si genus legatum fuerit, electio competat legatario, an hæredi (legatario autem semper competit, nisi aliud testator dixerit) (1). Si electio competat legatario, et hic semel speciem ex genere legato eo quo debuit electio fieri modo elegerit; putamus, electione factâ statim speciei electæ dominium absque ullo facto hæredis, ideoque absque traditione in legatarium abire. Etenim electio a legatario valide facta mutari ex pœnitentiâ non potest (2), adeoque cum semel legatarius elegerit, res quam ex legato capere debet, certa atque determinata species facta est, præterquam capere nil aliud amplius poterit; unde factâ semel electione legatum quod a principio genericum fuerat, jam factum est legatum speciei; atqui in legato speciei rei legatæ dominium transit in legatarium absque traditione; ergo, etc.. Scimus quidem, differre legatum quo ab initio species relicta fuit, ab eo quo

(2) Inst. lib. 2. tit. de legatis. §. 22.

(1) L. 20 ff. de opt. v. elect. leg., ubi sic : *rescriptum est, si legatarius dixisset, quæ vellet, deinde, antequam ea sumeret, alia se velle dixisset; mutare voluntatem eum non posse, ut alia sumeret, quia omne jus legati primâ testatione quâ sumere se dixisset, consumpsit.*

genus ab initio legatum, sed quod post electionem factam in speciem convertitur; ast ex eâ differentiâ nihil deduci potest, nisi quod in priori rei legatæ dominium abeat in legatarium a momento aditæ hæreditatis, ubi in altero abit tantum ab electione factâ; illudque maxime firmatur verbis legis 20 ff. de opt. vel elect. leg. ultimis, cum genus legatum sit, rem *continuo* legatarii fieri, *simul ac* dixerit, se eam capere. Addimus tamen, electionem valide factam esse oportere; nam si eo quo debuit fieri modo facta non sit, prorsus nulla est electio, uti si fiat ante aditionem hæreditatis (1), aut non omnibus exhibitis rebus ex quibus eligere legatarius potuisset (2), aut si res aliena vel quæ in commercio non est, electa fuerit (3).

Quod si electio competat hæredi, quia porro testator ipsi jus eligendi dedit; an hæres electione factâ ex pœnitentiâ voluntatem mutare possit, in ambages versatur. Etenim nulla lex aut legis dispositio quæstionem solvit, unde principiis aliunde quæsitis, et argumentis, ex lege casum similem definiente deductis, res enodanda est.

Maxime autem juvat observare, hæredi electionem non dari, nisi testator scripserit, ut ipsi electio daretur : inde enim sequitur, quidquid de electione hæredi datâ quæritur, in voluntate testantis esse, ideoque ex voluntate testantis eruendum. Profecto, si ex testamento pateat, satis testatorem voluisse, ut

(1) L. 16. ff. de opt. vel elect. leg.
(2) L. 4, eod.
(3) L. 2. §. 2. eod.

hæres ejus etiam post electionem factam voluntatem usque pro libitu mutare posset; nullum dubium est, quin hæredi ex pœnitentiâ electionem factam usque variare licitum sit: sin ex testamento appareat, contra testatorem voluisse, ut electio semel facta ab hærede variari amplius non posset; nullum etiam dubium, quin ex pœnitentiâ electionem mutare hæredi sit prohibitum. Sed quo modo ex testamento erui hoc poterit? Nimirum animadvertendum est in legatis genericis et alternativis prout et in stipulationibus, formam usu Romanorum acceptam fuisse quâ electionem hæredi testatores reservarent. Scriptum enim ubique invenimus: *lego Titio unum ex servis meis quem hæres volet, lego Titio Stichum servum vel Pamphilum utrum hæres volet.* Scriptum etiam reperimus in aliis: *quem hæres voluerit, utrum hæres voluerit*, et ex hâc variâ formâ variam testatoris voluntatem quoad jus electionis factæ ex pœnitentiâ mutandæ deducimus. Etenim si testator scripserit: *quem hæres volet, utrum hæres volet;* putamus, hæredi per hæc verba licere, ut electionem factam ex pœnitentiâ usque mutet. Sin: *quem hæres voluerit, utrum hæres voluerit;* putamus, hæredem electionem semel factam mutare amplius non posse. Prima scilicet verba ad futurum spectant, alia in præteritum referuntur. Unde in primo casu hæres tenetur legatario præstare rem *quam eliget*, non eam *quam elegerit*, adeoque si cujusdam rei electio facta sit, ob hanc electionem hæres non tenetur; in secundo casu hæres tenetur legatario præstare rem *quam elegerit*, adeoque re semel electâ hanc dare legatario debet, quia elegit, neque electionem mutando aliam dare poterit. Nec putet quis, ea a nobis nostrâ solum auctoritate hic posita esse; quæsivimus enim hæc omnia ex L. 112 ff. de verb. obl., ubi iisdem ver-

bis idem sensus, eadem vis data est, cum in stipulatione veniunt (1).

Objiciuntur tamen leges duæ, L. 84, § 9 ff. de legat. I et L. 11, § 1 ff. de legat. II, in quibus statutum, ut, si res per damnationem legatæ alternativo modo fuerint, *utram hæres volet*, hæres, cum semel elegerit, electionem nequeat revocare; cum tamen secundum sententiam nostram revocare eam adhuc possit. Sed respondemus, verum hoc esse de jure veteri, quo scilicet electio semper hæredi dabatur, etiamsi testator ipse eam hæredi non reservaverat, ubi scilicet per damnationem quid alternative legatum erat. Unde jure veteri verba hæc: *utrum hæres volet*, in legato damnationis alternativo scripta non hunc habebant, quem jam habent effectum, ut electionem darent hæredi, quæ porro ipsi a lege ipsâ data erat; adeoque, ni fierent inutilia prorsusque supervacua, varium sensum effectumque varium ea importare oportebat. Effectum autem nullum alium producere hæc verba poterant, quam ut electio, quam pro libitu usque ad rei traditionem variare hæres jure veteri in legato damnationis poterat, firma fieret atque immutabilis; illudque ex testatoris voluntate qui hunc verbis suis sensum dare voluisse præsumebatur, præterquam nullum effectum habuissent. Ast aliud omnino de jure novo; nam, cum jure novo omnibus legatis una natura, ut diximus, concessa sit, non magis in legato damnationis quam in alio electio competit hæredi, ni a testatore hæredi sit servata: Unde verba eadem; *utrum hæres volet*, hunc primum effectum habent, ut electionem dent hæredi,

(1) L. 84, §. 9 ff. de legat. I. sic habet : *Stichum aut Pamphilum, utrum hæres volet, Titio dato : cùm semel dixerit hæres, utrum dare velit, mutare sententiam non poterit.*

adeoque necesse non est, ut ipsis sensum a naturali verborum significatione diversum tribuamus, quem mox ipsis tribuimus; sed ea interpretamur, et ex ipsis voluntatem defuncti eruimus secundum principia interpretationis generalia, quæ lex ipsa sanxit, et quæ sana ratio quoque non recusat.

Et ea quidem ad rem veniunt, quoties testator formâ, cujus sensum explicavimus, usus fuerit. Sed numquid aliâ formâ uti poterit? Quid ergo, si ex adjectâ formâ dubium sit, an testator voluerit, ut hæres electione semel factâ omnino teneatur, an voluerit, ut electionem variare usque ad rei traditionem possit? Quid, si ex adjectâ formâ nihil quoad hanc rem possit erui? Existimamus, tunc hæredem pœnitentiâ electionem factam variare posse usque ad rei electæ præstationem, tum quia et hæres variare eam poterat de jure veteri, tum quia in dubio præsumitur testator maximâ erga hæredem usus fuisse facilitate atque benevolentiâ.

Itaque demum, ut ea quæ de generico aut alternativo legato scripsimus, colligamus et ad hanc quam tractamus, materiam adaptemus, sit hoc principium : quoties in legato generico aut alternativo electio legatario competit, toties rei legatæ dominium abit in legatarium *absque traditione* sed post electionem factam solummodo, quia scilicet electio a legatario semel facta variari amplius non potest, adeoque non usque ad ultimam rei præstationem speciei determinatio suspenditur; quoties autem electio competit hæredi, distinguimus an electionem hæres variare possit, an non possit : si non possit, post electionem quoque semel factam speciei electæ dominium abit *sine traditione* subsequente ob eamdem rationem; si possit variare, dominium non abit *nisi factâ traditione*, cum usque ad traditionem factam, mutare electionem queat. Paucis; in

legato generico vel alternativo uti in legato speciei dominium quoque sine traditione abit, nisi hæres, cui electio competit, electionem pro arbitrio suo variare usque ad ultimam rei præstationem possit.

Et eadem de legato optionis dicenda veniunt quæ de legato generico aut alternativo diximus, *cujus electio legatario competit;* in legato enim optionis electio semper competit legatario.

Sed videamus quid juris sit, cum quantitas legata fuerit. An eo quoque casu rei legatæ dominium abit in legatarium absque traditione? Nequaquam; species enim determinandæ sunt quas solvere hæres legatario velit, et licet illæ aliter quam solutione determinari possint (v. g. indicato loco quo depositæ sunt); tamen solutione sive traditione determinandæ sunt, quia species electas variare hæres potest usque ad ultimam solutionem, prout et poterat, cum jus electionem variandi ipsi a testatore in legato generico vel alternativo concessum erat (quod mox probavimus); quibus accedit hoc, quod parum intersit legatario, quænam ex quantitate species ipsi solvantur, et testamento satis hæres faciat, cum *quantitatem legatam* præstiterit.

Si res aliena legata sit, ejus dominium in legatarium non transfertur, nisi rem a domino hæres redemerit, *et redemptam legatario præstiterit* (1); adeoque hoc rursus casu traditionem leges requirunt rei quamvis legatæ (2), neque proinde sufficit, eam a domino redemptam apud hæredem existere, ut legatario acquiratur. Quod mirum non est; fieri enim facile potest, ut hæres rem alienam legatam a domino

(1) Inst. lib. 2, tit. 20, §. 4.
(2) Vinnius ad Inst. tit. de legatis, §. 4.

redemerit pretio rei valorem multo superante, non eo animo, ut rem redemptam legatarius habeat, sed ut ipse eam retineat (1).

Si demum legato conditio aut dies adjecta sit, sine traditione quidem rei legatæ dominium transfertur, sed existente die aut conditione (1).

Ergo ut hæc quæ de legatis diximus, uno intuitu complectamur, conferimus, actibus ultimæ voluntatis dominium sine traditione transferri, nisi sit legatum quantitatis aut rei alienæ, aut legatum genericum vel alternativum, et hæredi competat electio cum jure electionem usque ad rei præstationem variandi.

Ast in omnibus iis casibus in quibus dominium actu inter vivos transfertur, traditio requiritur. Unde principium generale : dominia non nudis pactis sed traditione transferri (2), quod ita generale est, ut in toto jure romano exceptio nulla nobis huc usque obvia fuerit, nisi quis dicat, exceptionem inesse iis casibus, in quibus res quasi vel symbolice traduntur, aut etiam tradi finguntur; quod nos non negabimus, cum in iis veræ saltem traditionis remissio fiat, sive quia veræ traditioni locus esse non potest, sive quia inutili circuitu opus foret, ut ipsi locus esset, quod diffusius exposuimus capite primo.

(3) Cogitur hæres rem alienam legatam redimere et præstare, vel *si eam non potest redimere*, æstimationem ejus dare. Inst. l. l. Eam vero redimere non poterit, si forte eam dominus aut omnino nolit, aut non nisi immodico pretio vendere velit. L. 14, § ult. ff. de legat. III. L. 71, §. 3 ff. de legat. I. Vinnius ad Inst. tit. de legat. §. 4.

(1) V. Roger ad Inst. de legat.

(2) L. 20 C. de R. V.. L. 20 C. de pactis. L. 50 C. de R. V.. L. pen. C. eod. L. 6 C. de her. vel act. vend.

4.

CAPUT TERTIUM.

Quænam præter traditionem alia sint requisita, ut dominium transferatur?

Jam satis superque dictum est, ubi de traditione ageretur, nudæ et simplicis traditionis effectum hunc unicum esse, ut res tradita transeat in potestatem accipientis; cæteros enim effectus, qui traditionem plerumque sequuntur, non ipsi traditioni inesse; sed ex causâ externâ proficisci, eosque pro causâ variâ varios quoque existere.

Hinc pleno alveo fluit, ad dominium transferendum nudam traditionem nequaquam sufficere; sed alia aliunde requisita traditionem præcedere aut comitari debere, quibus adstantibus hunc effectum traditio sortita esse intelligatur.

Hæc requisita qualia sint, quæritur. Nos, præter voluntatem et potestatem transferendi dominii in tradente illudque acquirendi in accipiente nihil ulterius requiri, sustinemus, justum enim titulum ipsi voluntati inesse.

§ 1.

De Voluntate.

Ut traditione dominium transferatur, requiritur itaque *primo* voluntas dominium transferendi in tradente, acquirendi illud in accipiente, et hoc quidem ex juris naturalis

ratione petitum est, atque intimis juris principiis ita cohæret, ut dubium ullum nulli pariat. Ast concurrere quæ debeant, ut adesse voluntas transferendi et acquirendi dominii intelligatur, magis arduum est proponere, quod proinde distinctius sumus expositури.

Cum hominum sanâ ratione utentium voluntas non moveatur, nisi causa voluntatem præcesserit, ob quam velint; palam est, neminem velle, ut traditione dominium a se abeat aut in se transferatur, nisi adsit quo dominium transferatur titulus, qualis est emptio, venditio, donatio, permutatio etc.. L. 31 ff. de adq. rer. dom. (1). Unde si titulo non translativo dominii, veluti depositi, commodati etc., res tradita fuerit aut accepta; non erit dominii translatio, quia ex utrâque parte, tradentis scilicet et accipientis, non concurrit quem ad translationem dominii requirimus effectus. Itaque verum est, quod diximus, justum titulum voluntati inesse, cum voluntas non intelligatur, nisi justus titulus præcesserit; et ideo de justo titulo separatim non tractabimus, ut plerique faciunt, sed de eo hoc loco agimus, ubi de voluntate, quemadmodum fecerunt celeberrimus VINNIUS(2) et alii qui ipsum sequuti sunt interpretes non spernendi.

Stet ergo axioma hoc : voluntatem transferendi dominium in tradente, acquirendi in accipiente non intelligi, nisi uterque titulo dominii translativo egerit.

(1) Hinc illud PAULI : *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio aut alia justa causa præcesserit, propter quam traditio secuta sit.* L. 31, ff. de acq. rer. dom.

(2) VINNIUS ad Inst. lib. 2, tit. 1, §. 40. MAURISSEN ad ff. lib. 41, tit. 1, §. 7. Contrarium tamen docuêre PEREZIUS ad Inst. de trad. et D. ROGER. eod.

Sed ex eo ipso, quod justus titulus ad voluntatem requiratur, sequitur, nullum esse discrimen, utrum titulus hic reverâ præcesserit an opinione contrahentium, utrum titulus hic reipsâ existat an sit putativus (1) tantum; etenim mentem nostram æque falsa causa movet ac vera, æque titulus putativus ac titulus ex parte rei existens. Et hoc ipsum confirmat totus de condictione indebiti titulus (2).

Sequi ex eo quoque videtur, parum discriminis interesse, an titulo uno alius tradat quod alius alio accipit, modo uterque titulus sit dominii translativus; cum ex utrâque parte id pariter agatur, ut dominium transferatur, adeoque voluntas dominii transferendi in tradente sit, acquirendi illud in accipiente; veluti si tibi tradam fundum tanquam a me debitum ex testamento, tu quasi ex stipulatu debitum accipias, vel si ego tibi tradam pecuniam donandi animo, tu accipias quasi creditam (3). Idque Julianus generaliter probat in L. 36 ff. de acq. rer. dom. Videtur autem a Juliano dissentire Ulpianus in specie posteriori, cum pecuniam tibi dedi quasi donaturus, tu quasi mutuam accepisti, in L. 18 ff. de reb. cred.. Primum negat, hic esse donationem; sed hoc etiam ex sententiâ Juliani, cum pecuniam tanquam donatam acceperis. Deinde ait, nec mutuum esse; sed illud Julianus quoque, quia mutuo pecunia tibi data non est. Sed quod postea dicit : « *magisque nummos accipientis non fieri,* » in eo dixeris, eum dissidere a Juliano qui generaliter definit, dissensum

(1) Verbum hoc commoditatis gratiâ posuimus, quamvis improprium; siquidem, ubi nullus ex parte rei titulus subest, hic potius titulum *abesse* dicendum est quam adesse titulum putativum.

(2) Vinnius ad Inst. lib. 2, tit. 1, § 40.

(3) Vinnius eod. Roger ad Inst. de trad.

in causis tranferendi non obstare translationi, cum in corpus quod traditur, consensum sit.

Et verius est, hoc dissidium componi non posse (1), quamvis plures componendi rationem afferant (2); posse scilicet hæc Ulpiani verba duplicem interpretationem pati, posse sic accipi, ut nummi omnino non fiant accipientis, posse etiam sic, ut non fiant perfecte, irrevocabiliter, ex comparatione scilicet acquisitionis rei donatæ, fiant tamen eo effectu, ut etiamsi adhuc exstent, uindicari nequeant, comsumpti nec efficaciter condici. Etenim, præterquam vim verbis inferunt, qui hunc extorquere sensum ex Ulpiani scripto conantur, non videtur eorum interpretationem suadere subjecta ab Ulpiano ratio : « *cum alia opinione acceperit.* » Ne enim quis dicat, hæc verba sic accipienda esse, quasi nummi ideo accipientis non fierent *irrevocabiliter, perfecte, quia aliâ opinione acceperit,* sive quia in opinione accipientis non fuerit, eorum dominium irrevocabile perfectum acquirere; nam hoc falsum est, siquidem accipientis nummos mutuos hic animus est, ut nummos quos accipit suos faciat ita, ut avocentur nunquam, sed obligetur ad tantumdem restituendum.

Neque putet, nos idcirco sustinere, avocari nummos traditos ab accipiente per tradentem nunquam posse, quasi donatio facta esset aut mutuum contractum; scimus enim nummos quos mutuos quis accipit, ab eo qui donandi animo ipsos tradidit, posse avocari, quamdiu exstant apud accipientem,

(1) Uti docent Maurissen, Roger, cæterique interpretes recentiores.

(2) Nempe Connanus 3. comm. 7. — Donellus comm. lib. 4, cap. 18, §. 4 ad. l. 18. ff. de rebus cred. et Vinnius ad Inst. lib. 2, tit. 1, §. 40 et Voet ad Pand. lib. 41, tit. 1, n. 36.

condictione sine causâ. Sed hoc sustinemus, verbis Ulpiani hunc sensum dari non posse, et sustinemus, quia hujus ratio non in opinione accipientis quam tamen Ulpianus affert, sed in absentiâ tituli ex parte rei existentis quærenda sit.

Sed quid, inquies, diutius hic commoramini? cum aliunde pateat satis, dominium nummorum quos titulo donationis alius porrigit, titulo mutui alius accipit, non transferri; siquidem nec donatio sit, quia in donationem accipiens non consensit, nec mutuum, quia in mutuum tradens non consensit, adeoque nullus titulus subsit, et sine titulo non intelligatur voluntas. Ast titulus ex parte rei licet nullus subsit, subest titulus putativus et hic sufficit, ut voluntas adsit, ut adsit dominii translatio.

Unde ex eo, quod nec donatio sit nec mutuum, quod titulus ex parte rei nullus subsit, unice sequitur, posse nummos, ut jam diximus, repeti condictione sine causâ, modo exstent adhuc apud accipientem; nam si ab ipso consumpti bonâ fide fuerint, et qui dedit, eos repetat, amovebitur exceptione doli, cum ejus ipsius voluntate consumptio facta sit (1).

Ultimo nec error obstat, quin dominium transferatur in casu posito; nam quod vulgo dicitur, errantis consensum non esse, ita accipiendum est, errantis consensum non esse in eam rem in qua erravit; hic autem non erratum est in dominio transferendo, sed in causâ transferendi tantum (1).

Ex hisce omnibus tandem deducimus, intimæ juris rationi conformiorem esse sententiam Juliani, dominii translationem

(1) Unde Julianus: *cum in corpus quidem, quod traditur, consentiamus, in causis vero dissentiamus, non animadverto, curin efficax sit traditio*. L. 36. ff. de acq. rer. dom.

in omnibus, in quibus alio res titulo tradita est, alio accepta, justo tamen utroque, casibus admittentis generaliter, adeoque eam præferendam esse sententiæ Ulpiani, cui porro ut probatum est, conciliari non potest.

Hæc vero de justo titulo sufficiunt, de voluntate non sufficiunt. Quamvis enim fieri omnino nequeat, ut justus titulus non adsit, ubi voluntas adest; tamen fieri facile potest, ut non adsit voluntas, ubi justus titulus præsens est; quod jam videbimus.

Scilicet fieri potest, ut præcedente justo titulo dominus rem, suam esse ignorans, pro alienâ tradat. Quod si fiat, certum est, tradentem non eo animo esse, ut rei suæ dominium a se abeat, quam alienam putat; sed abeat dominium ab eo, quem ejus rei dominum esse existimat, cum reipsâ dominus non sit. Quapropter dominium tradentis translatum hoc in casu dici non potest, siquidem nemo errans dominium rei suæ amittat, ut habet L. 35 ff. de A. R. D., quod hic verum est, ubi error consensum in translationem dominii, ad dominium transferendum necessarium, excludit.

Ergo, ut voluntas transferendi dominii in tradente, adeoque et dominii translatio sit, præter justum titulum requiritur insuper, ut tradens sciat, rem quam tradit suam esse (1); et probatur illud exemplis non paucis in jure passim obviis atque imprimis ex eo quod habet L. 35 ff. de A. R. D. et L. 15, § 2 ff. de cont. empt. vend. Nec obstat quod lege 49 ff. mandati scriptum est, si servum Titii ab alio bonâ fide emerim,

(1) Hoc et Vinnii et Heineccii et Perezii et unanimi interpretum consensu probatum.

ostea Titio suum esse ignoranti mandaverim, ut venderet, Titiusque servum vendiderit et tradiderit, vindicationem Titio concedendam non esse. Nam lex illa Titio vindicationem non ideo negat, quod servi dominium ab eo recesserit, sed ideo, quod Titius venditor ad tradendum servum sese obligaverit, et ex obligatione contractà cogi proinde possit, si nondum tradiderit, adeoque multo magis obligatus sit ad servum traditum non avocandum; cum toto jure facilius retentio concedatur quam repetitio. Ulterius Titius de evictione tenetur (nisi fidem mandantis forte secutus sit), adeoque evincere ipse servum non potest (1).

Neque obstat quod lege 41 ff. de reb. cred. proponitur, nam quod ibi habetur, nummos a servo kalendario proposito creditos, post ignotam ipsi mortem domini qui eum pro parte hæredem instituerat, alienatos esse pro eà parte, pro quà servus hæres scriptus sit, de verà alienatione et translatione dominii intelligendum non est; cum servus ignoraret, nummos quos credidit, suos esse, adeoque non eo animo esset, ut dominium eorum perderet. Sed hoc sibi vult illa lex, nummos cum effectu vindicare pro parte suà servum non posse, quatenus suo proprio facto contraveniret, ideoque exceptione doli mali repelli posse (2).

Satis ergo esse videtur, dominum justo præcedente titulo tradentem rem traditam scire suam esse, ut adesse voluntas ejus transferendi dominii intelligatur; quod quidem interpretes omnes, nobis aut animo aut oculis præsentes non negant, nos negandum aliquatenus arbitramur salvà quam ipsis

(1) Maurissen ad tit. ff. de acq. rer. dom. §. 9. Voet. ad Pand. lib. 41, tit. 1. n. 37.

(2) Maurissen eod.

debemus reverentiâ. Etenim fieri potest, ut dominus sciat, rem quam tradit aut quam tradendam mandat, suam esse, sed putet, ex aliquâ causâ suam factam esse, cum ex aliâ causâ sua sit; quo casu si rem tradat eo animo, ut transferat dominium quod sibi ex aliquâ causâ adquisitum existimat, dominium non transfertur, utpote quod ex eâ causâ non habet, sed neque illud quod revera ex aliâ causâ habet, cum in illud transferendum non consenserit, ignorans hoc sibi competere. Quod probat L. 49 ff. mandati in eo quod proponit exemplo : Titii servum, suum esse ignorantis, ab alio quis emit, cui Titius ipse postea hæres exstitit. Hunc servum quem jure hæreditario sibi acquisitum putat, mihi mandat ut venderem. Decisum est in fine legis, quod si Titius servum mandatu suo venditum *velit vindicare*, exceptione doli possit summoveri; unde colligimus, post venditionem factam et subsecutam traditionem Titio vindicationem servi adhuc competere, cum omnis exceptio præsupponat actionem, quam et ipsa lex præsupponit, ubi sic: « *si Titius eum vindicare velit*, » cum insuper opus non fuisset exceptione doli, ut repelleretur Titius mandator; adeoque dominium translatum non fuisse, quo scilicet translato Titio servi vendicatio non amplius competeret. Ratio autem est, quod Titius voluit quidem transferre dominium quod ex causâ hæreditariâ sibi acquisitum putabat, sed dominium ex causâ hæreditariâ ipsi acquisitum non est, cum jam antea dominus servi esset, adeoque nec translatum; dominium autem quod habet realiter, non transtulit, cum ignoraverit se illud habere, adeoque defuerit in translationem voluntas.

Ergo illud tertio ad voluntatem requirimus, ut res quam dominus tanquam suam ex aliquâ causâ tradit, eâ causâ reverâ apud eum sit.

5.

Jam vero præter hæc quæ necessaria diximus, ut adesse voluntas intelligeretur, nihil superest quod ulterius requiratur, rebus generali dumtaxat modo conspectis. Namque casus specialis est in jure Romano unicus, in quo voluntas transferendi dominium in tradente adesse nondum intelligitur adeoque nec translatum dominium, quamvis quæ huc usque proposuimus, requisita adsint. Nempe in causâ venditionis, ex quâ rei traditæ dominium in emptorem non antea transfertur, quam si pretium solutum sit aut fides de pretio habita (1). Cur vero tam varie? Nimirum quia ex communi agendi modo hic venditoris scopus, hic animus apud Romanos erat, ut re suâ privari nollet nisi pretii consequendi gratiâ, neque dominium rei suæ in emptorem abire, nisi pretium emptor solverit, aut alio modo fecerit satis(2); atque ita interpretamur quod habet § 41 Inst. de A. R. D.: hoc *juris gentium* esse, quod nempe non patitur, ut contra præsumptam voluntatem venditoris dominium rei venditæ transferatur. Neque objicias mirum hoc esse, cum jus gentium sive naturale sit immutabile, adeoque et hoc quod de re venditâ leges Romanæ statuerint, nostris quoque legibus observandum esse, cum tamen contrarium hodie obtineat, et jam solâ conventione, nullo pretio soluto nec de ea fide habitâ, rei venditæ dominium transferatur! Mirum enim non est animadvertenti, ideo jam rei venditæ dominium statim in emptorem transire, quia hominum communis agendi modus ipsis cum legibus mutatus est, ita ut jam non possit præsumi venditor consensum

(1) Inst. lib. 2, tit. 1, §. 41, quo scriptum : *Venditæ vero res et traditæ non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit.*

(2) Vinnius ad Inst. tit. de A. R. D §. 41. Maurissen ad ff. tit. de A. R. D. § 10. Roger ad Inst. de trad. Heinec. eod. Perezius eod. etc. etc.

suum in translationem dominii suspendisse, donec pretium solutum sit aut fides de eo habita. Et ita explicavit nobis hoc punctum Dominus DEBRUYN in prælectionibus suprâ jus naturale habitis, et explicant interpretes juris Romani celeberrimi inter quos VINNIUS et alii.

Ex hisce vero patet, admittendum non esse quod nonnulli aiunt, in jure Romano casum dari, in quo *præter voluntatem* et cætera requisita quid alterius quæratur ut dominium transferatur : solutionem enim pretii aut de pretio fidem habendam in causâ venditionis *non præter voluntatem* sed *ad ipsam* voluntatem requiri, demonstratum est.

Cæterum præter ea quæ jam diximus, et quæ specialiter ad hanc materiam pertinent, alia insuper requiruntur, ut adesse voluntas intelligatur, quæ, quamvis prædicta non utique comitari soleant, hîc tamen omitti nequaquam possunt, cum ad translationem dominii præter traditionem omnino sint requisita, adeoque hujus quam enucleamus quæstionis partem faciant.

Nimirum ut voluntas adsit, qualis requiritur ad dominium transferendum, desideratur 1° ; ut qui rem tradit vel accipit, gaudeat *naturali* facultate in translationem dominii ejus consentiendi : adeoque voluntas non adest in infantibus, in mente captis, dementibus, furiosis, qui nesciunt quid agant, minusque in hoc quod agunt, consentiunt : de minoribus autem non infantibus et de prodigis, quia per se consentiendi facultate gaudent, sed ob judicii infirmitatem et experientiæ defectum aut prodigalitatem et administrandi ineptiam lege aliquatenus destituuntur, ita ut consensus eorum non valeat, nisi tutoris aut curatoris confirmatione augeatur, de his, inquam,

non hic mentio facienda est, sed mentio fiet ubi de *potestate*, quia in ipsis potestatis absentiam potius quam voluntatis defectum animadvertimus.

Infans autem dicitur quasi *fandi impos* (1). Attamen vero sciendum est, jure infantiam non usu et facultate loquendi, sed ætate æstimari. Is enim jure (Romano) habetur et definitur infans, qui minor est septem annis (2). Etsi enim qui septem annos nondum natus est, naturâ fari potest, tamen jure hoc facere non posse existimatur.

Porro non certis hîc progredi ratiociniis legislatores poterant, ut, naturalis ratio quando moveri atque agere incipiat, in homine detegant; varium enim hoc naturæ opus est in variis, in aliis citius, serius in aliis perficitur, ideoque necesse fuit certam atque determinatam ætatem admittere, quam si semel adepti fuerint, naturali intelligendi et consentiendi facultate homines gaudere ponantur, antea vero quam ad eam pervenerint, eos ut omni facultate destitutos lex habeat (3).

Itaque nihil eorum quæ animo et affectu geruntur, gerere per se infantes, nequidem tutoris sui auctoritate, possunt : unde verum est quod diximus, in iis consensum omnem deficere, omnemque abesse voluntatem. Ast qui infantiâ majores sunt, etsi non statim perfectum intellectum habeant,

(1) L. 1, § 2 ff. de adm. tut.. L. 70 ff. de V. O.. L. 5 ff. de Reg. Jur. etc.

(2) L. 18 C. de Jure delib... L. 1, § 2 ff. de adm. tut... L. 14 ff. de spons... Apud alios autem populos alius fuit infantiæ terminus, v. g. apud Hebræos erat 13 ann. in masc., 12 in puellis. Grotius de Jure Belli et Pac. lib. 2, de promissis, n. 5.

(3) Vinnius ad Inst. de inut. stip.

sed ratione ducente magis quotidie magisque in ipsis judicium firmetur; quia tamen lex ipsis intellectum dedit, dedit et facultatem consentiendi, adeoque consensus in ipsis adest, recte dictum est, de minoribus non infantibus hic, ubi de voluntate quæstio est, non esse quærendum. Quia tamen consensus eorum infirmis est, voluit lex eum tutoris aut curatoris auctoritate quasi compleri; unde, cum, etiam si consentire queant, consensum tamen eorum lex reddidit inhabilem, incapacem, nisi tutore aut curatore comitante, ipsos ad paragraphum ubi de potestate tractabitur, relegavimus. Quod et in prodigis fecimus, siquidem eadem sit relegandi ratio.

Scio equidem, inter infantiâ majores alios esse infantiæ proximos, alios pubertati proximos, et quando pupillus infantiæ proximus appellari desinat et vocari pubertati proximus, non satis esse exploratum, tum quia id jure expresse definitum non est, tum quia in eo definiendo mire variant interpretes (1). Ast quia benigne receptum est, eum qui infantiæ proximus est, omnia tutore auctore non minus recte agere posse, quam qui pubertati proximus est, inutilem hic fore hujus rei disputationem, arbitramur.

Sed prosequamur ad alia. Requiritur enim 2° ad hoc ut voluntas adsit qualis adesse debet ad transferendum dominium, ut consensus in translationem dominii sit verus et serio positus; nam qui jocandi gratiâ fingit, se velle ut dominium a se abeat, non eo animo rem tradit, ut ejus dominium amittat.

(1) Alii enim terminum faciunt ann. 12 in masc. 10 in puellis. V. PET. FAB. ad L. 5 ff. de Reg. Jur. RAEVARD. ad L. 3 eod. Alii ann. 13 vel 11. HOTOM. hic. ROBERT. 2, recept. lect. 17. Alii ann. 13 1/2 vel 11 1/2. CUJACIUS 17, obs. 4. Alii quorum opinionem hodie sequimur, ann. 10 1/2 vel 9 1/2. ACCURSIUS de inut. stip. et in L. 1. ff. de Nov. etc.

Sed omnino *liber* esse consensus non debet, vi enim aut metu extortus consensus etiam consensus est, *vi* scilicet *conditionatâ* quæ infertur ad consensum extorquendum, non *vi absolutâ* quâ sine consensu proceditur.

Itaque ubi quis rem suam tradere coactus vi absolutâ fuerit, ibi nec consensus in translationem dominii, nec proinde dominii translatio concipitur. Ast si quis ad consentiendum in translationem dominii vi conditionatâ seu metu (nam hæc confundimus) impulsus rem eo affectu tradiderit, rei dominium translatum esse sustinemus, et probabimus.

Nimirum consensus vi aut metu extortus non ideo minus consensus est, quin imo tantum abest, ut vis aut metus consensum impediant, ut contra consensum adducant, qui sine vi aut metu positus non fuisset; et verum quidem est, vim aut metum tollere consensus libertatem, sed coactus consensus etiam consensus est, uti J. C. PAULUS habet (1): « *Quamvis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui.* » Cui accedunt interpretum sententiæ, utque imprimis GROTII hæc scripta (2): « *Consensus hîc adest, ubi quid metu gestum est, neque conditionalis, uti modo in errante dicebamus, sed absolutus.* » Et in similitudinem ab ARISTOTELE traditum est (3): » *Qui naufragii metu res suas jactat, vellet res servare sub conditione, si naufragium non immineret; at absolute vult res perdere, spectatâ scilicet temporis ac loci circumstantiâ.* »

Atque ea generaliter vera, neque exceptionibus infirmari

(1) L. 21, § 5 ff. quod metus causâ.

(2) GROT. Lib. 2 de promissis 7.

(3) Eth. Nic. III.

existimamus. Scilicet Ulpianus ait (1) : « *Nil consensui tam contrarium est, qui bonæ fidei judicia sustinet, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est.* » Unde a quibusdam infertur, ibi saltem non adesse consensum, ubi omnia geruntur secundum bonam fidem. Hoc, inquam, Ulpiani verbum non ita accipiendum est, uti quidam accipiunt, sed sic intelligendum : ea nec bonis moribus nec legibus comprobari, quæ vi aut metu fiunt, etsi non ideo minus hæc facta sint ; in specie nostra : neque moribus neque legibus comprobari rei dominii translationem metu aut vi concessam, ast non ideo minus rei dominium translatum esse (2). Porro his qui vi aut metu coacti in translationem dominii consentiunt, actio *quod metus causâ* a prætore data est, personalis sed in rem scripta, ut defectui rei vindicationis suppleatur (3).

Venit jam quid adjiciendum de dolo, et putamus denuo, uti nec vi nec metu, sic nec dolo impediri consensum. Nempe uti nec vis nec metus obstant consensui, sed efficiunt contra ut consensus ponatur, sic nec dolus, qui contra consensum allicit : et illud fortius est insuper in dolo, quod consensus dolo captus omnino liber maneat, cum vi aut metu extortus coactus consensus fiat. Et hoc quoque confirmant leges quamplurimæ in corpore juris passim obviæ, quibus sancitum est, ut etiam contractus quilibet, sive bonæ fidei, sive stricti juris, et si ipsis dolus causam dederit, aut in eos tantum inciderit, sint validi. Etenim si in contractibus, cujuscumque generis sint, sufficiat consensus dolo captus,

(1) L. 116 ff. de Reg. Juris.

(2) Maurissen ad tit. ff. quod metus causâ § 2.

(3) Tit. ff. quod metus causâ.

et hic sufficit in ordine ad transferendum dominium. Dicimus autem *dolum causam dare contractui*, cum contractus non exstitisset, ni dolus intervenisset : *in contractum incidere*, ubi contractus, etiam dolo non interveniente, exstitisset quidem, sed diversimode initus fuisset (1). Ex hisce legibus seligemus L. 5 Cod. de rescind. vend., in quâ statutum, ut, *si dolo deceptus* venditionem feceris, *rescindi* venditio possit, in quâ proinde ponitur dolus contractui causam fecisse (alias enim dici non posset, quod *dolo deceptus* venditionem feceris; nam ubi dolus tantum incidit in contractum, facis venditionem *non deceptus*, quamvis postea in contrahendo decipiaris). Et decisum est, *rescindi* venditionem posse : atqui tamen si ob dolum nulla esset venditio, certe rescindi non deberet. Citare juvat quoque Legem 13, § 4 ff. de act. empt., in quâ ponitur dolus incidisse in contractum, et dicitur competere decepto actionem *ex empto* ; item L. 13, § 5 eod., in quâ ponitur dolus causam dedisse contractui, et rursus dicitur competere actionem *ex ipso contractu*. Quæ sane probant, contractus, etiamsi dolus præcesserit aut intervenerit, validos esse, ex quibus porro actiones oriuntur.

Hæc autem ideo posuimus, quia si legibus admissum sit, ut consensus, etiam dolo captus valeat in contrahendo, etiam legibus admissum est, ut valeat in rei dominio transferendo, eadem enim est ratio, idem principium. Cæterum etiam si leges contractum aliquem nullum doli causâ definirent, non ideo minus verum esset quod diximus, nullo casu, dolo concensum impediri in ordine ad dominium transferendum; quin imo sustinemus, traditione dominium transferri, etiamsi traditio fiat ex contractu, quem lex ob dolum nullum haberet,

(1) V. Rogerr ad Inst. tit. de empt. vend.

(ponimus autem contractum unde titulus dominii translativus oriatur) ut ecce, si lex emptionem venditionem in quâ dolus venerit, nullam definiret, (quod non est, sed esse ponimus) et ex tali venditione nullâ res vendita tradatur, dicimus rei traditæ dominium transferri quamvis emptio venditio nulla sit. Scimus quidem sententiæ huic nostræ quam maxime adversari HUBERUM, sed litem cum ipso læti aggredimur, et victores ipsi nos superfore speramus.

Quid porro leges præter transferendi et acquirendi dominium voluntatem et potestatem, reique traditionem desiderant, ut dominium rei traditæ transferatur? Nihil. Itaque si voluntas adsit et potestas, tum etiam traditio subsecuta fuerit; quis dubitet, dominium fuisse translatum? Nec ullus qui dicet, voluntatem non adesse ubi dolus adest, nam qui dolo captus rem suam vendidit et tradidit, ignorabat dolum subesse, et venditionem validam putabat, adeoque voluntatem habuit dominii transferendi. Sed objicit Huberus, titulum nullum esse quo dominium translatum intelligatur, si quidem emptio venditio sit nulla. Sed huc referimus quæ antea latius explicavimus, titulum quidem a parte rei subsistentem non intervenisse, ast titulum saltem putativum adesse, huncque sufficientem ad dominii translationem. Illudque confirmat titulus omnis de condictione indebiti; rei enim etiam indebite solutæ dominium transfertur, quamvis nulla causa subsit, ob quam debeat solvens, sed quia se ob causam aliquam debere existimat. Nec ullo modo admitti potest, quin imo nec intelligi, quod Huberus adjicit, ideo rei indebite solutæ dominium transferri, quia saltem *solutio* valida est, ubi in specie contractus supponitur esse nullus. Etenim de solutione indebiti utique dici potest, quod nulla causa sit, ob quam solutio fiat, et tamen rei solutæ dominium transfertur, quemadmodum

et transfertur dominium rei quæ traditur ex contractu nullo, rei quæ traditur, quamvis nulla causa ex parte rei subsit.

Sed instat noster Huberus, sic ratiocinando : contractus supponitur nullus esse, quod nullum est nullos producit effectus, atqui tamen produceret, si ex eodem transferretur dominium. Sed negamus consequentiam ; verum quidem est contractum nullum effectus nullos producere, ideoque ex contractu nullo non orietur obligatio personalis, non orientur actiones oriundæ ex contractu valido ; sed dominii translatio non est effectus contractus sed effectus traditionis quam comitantur voluntas transferendi dominii et potestas.

Sed fortissimum ab Hubero prolatum argumentum hoc est: donationes lege prohibitæ inter virum et uxorem, si fiant, nullæ sunt ; si jam verum esset (quod nos sustinemus), dominium transferri, etiamsi contractus nullus sit, etiam dominium rei donatæ transferri deberet, etsi donatio, ut ponitur, non valeat ; et tamen certum est, et verbis expressis J. C. AFRICANUS (1) definit, rei donatæ dominium non transferri, si donatio, utpote facta inter virum et uxorem, nulla sit. Responsio tamen parata est ; nempe specialiter admissum est circa donationes inter virum et uxorem factas, ut, si fiant, rei donatæ dominium non transferatur, non ideo, quia donatio nulla est, sed potius quia lex transferentis voluntatem quasi irritam et nullam efficere voluit, ne scilicet causis inhonestis, et profusâ erga se invicem facilitate, conjuges bonis spoliarentur, sicque venalitia matrimonia fierent (2). Ergo in

(1) L. 38, § 1 in fine ff. desolut. : *Cum maritus uxori donaturus, debitorem suum jubeat solvere.... nummi mulieris non fiunt.*

(2) L. 1 ff. de don. inter vir. et ux.

casu objecto hic legum scopus et finis fuit, donationem nullam definire, quatenus per eam dominium rei donatæ transfertur. Ast in casu diverso diversum est, uti si contractus nullus esset ob dolum; tunc enim nulla non foret voluntas transferendi dominium aut inefficax, siquidem nulla lex eam nullam faciat, sed nulla foret solumque nulla obligatio ex contractu oriunda.

3°. Atque ultimo requirimus, ut consensus in translationem dominii non sit erroneus; nullus enim errans rem suam amittit (1). Quod de errore qui circa ipsam translationem dominii versatur intelligendum est, non de eo qui circa causam transferendi, uti antea diffusius exposuimus (2). Itaque si rem unam pro alterâ tibi tradam per errorem, tu accipias, dominium ejus certe non transfertur. Paucis; errantis consensus non est in eo circa quod errat, ideoque consensus non est in translationem dominii, si circa translationem dominii erratum fuerit. Cum autem facile perspiciatur primoque intuitu intelligi possit, error qualis sit, diutius hic non commoremur.

§ 2.

De Potestate.

Absolvimus jam satis amplam de voluntate materiam. Initio vero dictum est, non solam voluntatem sufficere, ut traditione dominium transferatur, sed requiri insuper potestatem dominii transferendi in tradente, acquirendi in accipiente.

(1) L. 15 ff. de A. R. D.

(2) L. 16 ff. de A. R. D.: *Cum in corpus quidem quod traditur consentiamus in causis vero dissentiamus, non animadverto cur inefficax sit traditio.*

Requiritur 1° potestas rei traditæ dominium transferendi in tradente ; alii enim per se incapaces sunt rei quam tradunt dominium transferendi, uti qui rem alienam nesciente vel invito domino tradunt ; alios qui per se incapaces non sunt, lex aut ultima hominis voluntas, cui porro eadem vis data est ac legi, incapaces reddit : sed pactum inter vivos alienandi incapacem efficere neminem potest; pactum enim tale, licet validum sit, quia paciscentis interesse potest, ne res distrahatur, tamen ipsam rem non afficit, nec eam eximit commercio, quia scilicet privatis datum non est, ut aliquem inhabilem rei alienandæ faciant, quem lex alienandi capacem fecit ; unde alienatio pacto inter vivos prohibita illicita quidem est, et obligabit alienantem ad interesse, sed invalida non est.

Ultimâ vero hominis voluntate incapax fieri alienandi quis potest, quia, uti mox dicebamus, eadem ultimæ hominis voluntati vis concessa est quæ legi ; unde cum quid testator fideicommisso subjecerit, hoc alienare fiduciarius valide non poterit, quia prohibuit testator, ne alienatio fieret, rei scilicet quam ad fideicommissarium voluit transmitti (1).

Sed est tamen illud cum moderamine quodam accipiendum. Non enim utique verum est, utut quidam repetunt, prohibitionem rem distrahendi testamento factam aliquem incapacem facere rem alienandi; sed tunc verum est tantum, cum testator adjecerit causam prohibitionis vel dixerit, in cujus favorem rem vendi prohibuerit, ut constat ex L. 114, § 14 ff. de leg. I, cujus verba referre sat erit, ut probetur, quod dicimus. Verba autem sunt : « Divi Severus et Antoninus rescrips-

(1) L. 3, § 2 Cod. comm. de leg.

ere, eos qui testamento vetant quid alienari, nec causam exprimunt propter quam fieri velint, nisi invenitur persona cujus respectu hoc a testatore dispositum est, nullius esse momenti scripturam, quasi nudum præceptum reliquerint, quia talem legem testamento non possunt dicere.»

Mox autem dicebamus, ex lege quosdam incapaces esse, uti sunt domini quibus rei alienatio interdicta est, quod fit vel ob conditionem ipsius tradentis, uti in pupillis, minoribus non infantibus, prodigis, quibus, etiamsi naturali in alienationem rei consentiendi facultate gaudeant, attamen, *quia pupilli vel minores vel prodigi sunt*, res suas alienare sine tutoris aut curatoris auctoritate non licet ob judicii infirmitatem aut administrandi imperitiam. De infantibus autem, furiosis et dementibus hic non loquimur, sed locuti sumus ubi de defectu voluntatis quæstio esset, quia porro intelligendi et consentiendi facultate omni destituuntur. De tutoribus vero et curatoribus, mox dicemus.

Potest autem rei alienatio domino quoque prohiberi ob ipsam rem, uti maritis fundi dotalis alienatio, *quia dotalis est*, prohibetur. Quod primo cautum fuit lege Julià de fundo dotali, cum fundus dotalis Italico solo sisteret, ita ut alienatio nulla esset, nisi in ipsam mulier consensisset, quo casu valebat; postea Justiniano imperante admissum, ut prohibitio ad fundos dotales qualescumque, etiam non Italicos extenderetur, et sive mulier consenserit, sive non consenserit, alienatio nulla esset (1). Cæterum prohibitio non spectat ad res immobiles quarum æstimatio facta fuit, antequam in dotem venirent; harum enim dominium plenum et irrevocabile ma-

(1) Inst. tit. quib. alien, licet.

ritus nanciscitur, ita ut non ipsas res sed earum æstimationem restituere tantum debeat. Sin vero marito fundus datus fuerit eâ lege, ut vel ipsam rem vel ejus æstimationem reddat, distinguendum, an electio competat ipsi an uxori ejus. Si marito, alienatio licita est; sin uxori, prohibetur (1). In dubio autem electio marito concedenda, hoc suadente principio: in alternativis electio debitoris est, nisi eam sibi creditor reservaverit.

Alienatio quoque domino prohiberi potest ratione alterius personæ, uti rursus maritis prohibitum est in favorem uxorum suarum, *quia uxores suæ sunt*, his in favorem suorum maritorum, *quia mariti*, ~~donationem stante~~ toro facere. Quod legum verbis expressis sancitum est (2), tum ne mutuato amore conjuges invicem spoliarentur, donationibus non temperantes sed profusâ erga se facilitate, tum quia sæpe futurum esset, ut discuterentur matrimonia, si non donaret is qui posset, atque eâ ratione eventurum, ut venalitia essent matrimonia. Est autem adeo nulla donatio hujusmodi, ut dominium rei donatæ non transeat in donatarium, sed donantis maneat, ita ut donans eam usque vindicare possit (3).

Præterea non inter conjuges tantum prohibitæ donationes sunt, sed et inter eas personas, quas inter si donatio fieret, inter conjuges ipsos facta censeretur, uti inter eos, quorum potestati conjuges subjiciuntur, aut qui conjugum potestati ipsi subjecti sunt (4). Cæterum, quoniam donationes inter

(1) L. 11 ff. de fundo dotali.

(2) L. 1, 2 etc. ff. de don. int. vir. et ux.

(3) L. 3, § 10, 11 ff. de don. int. vir. et ux.

(4) L. 4, Cod. de don. int. vir. et ux.... L. 3, § 6 ff. eod.

virum et uxorem prohibentur, ne illicitis modis alter ditior fieret, pauperior alter; manisfestum est, cessare prohibitionem si ex donatione vel unus non fiat ditior, vel non fiat alter pauperior (1) : utrumque enim adesse oportet. Ast fieri non posse arbitramur, ut ab uno in alium donatione dominium abeat, quin utrumque necessario adsit, ideoque exempla huc spectantia et quibus probatur validam esse donationem, si vel donans non fiat pauperior, vel donatarius non fiat locupletior, hic referre supervacuum esset, quum in eorum singulo vel non a donante dominium abeat, vel si ab ipso abierit in donatarium non transferatur (2). Præter donationem autem omnes alii inter conjuges initi contractus omnino valent, nisi in fraudem prohibitionis facti fuerint, ita ut potius pro donationibus quam pro aliis contractibus habendi sint : puta si conjuges venditionem simulaverint, pretium quidem statuendo sed adeo vile, ut potius umbra pretii sit quam pretium mercis valori proportionatum, non valere id quod conjuges egerunt, certum est.

Contra alii qui per se incapaces sunt, ex lege aut ex domini voluntate capaces facti sunt; uti tutores et curatores in rebus pupillorum et minorum contrahentes, quibus rei mobilis alienatio licita est, modo non fiat donationis causâ, immobilis non aliter quam si decretum magistratus accedat. Quod ex oratione Divi Severi in Senatu recitatâ, et lege 1 ff. de reb. eor. qui sub tut. etc. prolatâ deduximus, cujus proinde verba sensumque paucis explicare, non inutile hic fore arbitramur.

(1) L. 5. § 16 ff. eod.

(2) V. Maurissen ad. tit. ff. de don. int. vir. et ux. § 7 et 8.

Scilicet sciendum, antiquitus admissum fuisse, ut tutores et curatores, in rebus pupillorum suorum et minorum contrahentes, res etiam immobiles suâ auctoritate alienare possent, ita tamen, ut pupillis et minoribus restitutio in integrum, si læsi essent, competeret. Ast ubi compertum fuit, sæpius contingere, ut tutores vel curatores pecuniam ex alienatione redactam facilius dissiparent et ita minoribus damnum non modicum afferretur; ut magis magisque pupillis consultum foret, oratione, quam diximus, Imperator Severus tutoribus et curatoribus prohibuit, ne pupillorum prædia rustica vel suburbana distraherent, nisi prius magistratus decretum intervenisset.

Res autem mobiles et prædia urbana suâ auctoritate alienare tutores et curatores adhuc poterant, quia eorum alienatio oratione Divi Severi non fuit prohibita; postea tamen prædiorum urbanorum quoque uti et aliorum alienatio ipsis interdicta, quia pupillorum commodo videbatur æque contraria: unde tandem Constantino imperante invaluit, ne res ulla immobilis sine decreto magistratus a tutoribus et curatoribus alienari posset (1).

Sed constitutio hæc non adeo generalis est, ut exceptiones nullas patiatur; nam in ipsâ Divi Severi oratione videmus decretum non requiri prætoris, ut a tutoribus vel curatoribus pupillorum res immobiles valide alienentur, si ut alienatio fieret testamento vel codicillis parentes caverint, aut si res communis sit et socius ad divisionem provocet. Illud, quia parentibus maximam esse curam leges præsumunt, ut quod liberis suis

(1) L. 22 Cod. de adm. tut.

potissimum expedit, testamento suo præscribant, quâ ratione leges voluerunt, ut parentum jussa ultima tutores et curatores exsequantur; hoc, quia, cum nemo pati invitus debeat rem sibi cum aliis communem esse, omnibus quibus quid cum pupillis commune est, licitum est divisionem provocare, in quam tutores et curatores consentiant necesse est, adeo ut hoc casu decretum magistratus fuisset supervacuum.

Quod ultimum de aliis quoque alienationibus necessario faciendis dici potest, ita ut merito inferre liceat, decretum magistratus non requiri, quoties alienatio necessaria est, requiri tantum, cum alienatio sit voluntaria.

Et ea quidem omnia de tutoribus et curatoribus diximus, si pupillos tueantur aut minores sub curâ habeant; quamvis autem in oratione suâ Divus Severus de minoribus et pupillis tantum sermonem fecerit, postea tamen JCtorum interpretatione ad furiosos et prodigos sub curâ degentes extensum est, quod de pupillis et minoribus tantum dictum fuerat, ita ut quod de his admissum primo fuit, pro illis quoque jam obtineat.

Sed sufficiunt hæc de tutorum et curatorum potestate. Sunt enim et alii, qui etsi domini sint, rem tamen tradendo alienare possunt, ubi scilicet ex domini voluntate capaces facti sunt; uti creditores qui rem sibi pignori datam ex conventione cum debitoribus suis initâ vendere possunt, venditam tradere traditæque dominium in emptorem transmittere. Hic autem paulisper commorari quoque juvat, ut expendamus quæstionem a plerisque levi satis modo decisam, cum tamen subtiliori ratiocinio mereatur agitari. Puta diximus, creditores quibus res pignori data est, *ex conventione* initâ cum debitoribus

suis posse rem pignori datam vendere, venditæque dominium transferre, quia scilicet ex contractu pignoris manifestatur voluntas debitoris volentis, ut creditor rem pignori datam venderet, cùm debitum non solveretur; et verum hoc est, sive expressis verbis in venditionem rei pignori datæ debitor consenserit, sive de vendendâ re nil dixerit. Sed numquid fieri potest, ut rem pignori dando debitor verbis quoque non dubiis creditori suo rei pignori datæ venditionem omnino prohibeat? Quod si fiat, poteritne jam creditor invito debitore rem pignori datam vendere, venditam tradere, venditæque dominium transferre? Nequaquam posse eum hoc facere existimamus, quamvis, ut jam diximus, interpretum scriptis contrarium appareat (1).

Etenim certum est, quod non possit creditor rem pignori datam vendere *ex voluntate debitoris*, cum hic (ut posuimus) nullo modo voluerit, ut res pignori data venderetur. Quare ergo contra manifestam expressamque debitoris voluntatem creditori licita venditio esset, quam debitor ipsi prohibuit? Ast, inquiunt, de essentiâ contractus pignoris est, ut rem pignori datam creditor vendere possit, si debitor ipsi non satisfaciat, cum alias in pignore frustra quæratur ea, quam sibi voluit creditor adquiri, securitas. Sed falsum; namque non tantum in jure vendendi rem pignori datam, sed et in jure eam retinendi usque ad ultimam solutionem, et in jure quoque reali pignoris securitas creditoris consistit.

Igitur nil impedit, quominus concipiatur contractus pignoris, in quo creditori recusetur jus vendendi; et quoniam credi-

(1) Rogér. Inst. de pignore. Maurissen ff. Lib. 13. Tit. 7, § 3 etc.

tori nil juris competat præter quod ipsi a debitore concessum est, palam est, in specie eum rem vendere nequaquam posse, ni furtum committat.

Sed objiciunt legem quartam ff. de pignorat. act. vel contra, quâ scriptum, ut, si convenerit ne pignus distraheretur, distrahere tamen pignus creditor possit, ubi debitori ter prius denunciaverit, ut solvat; adeoque falsum quod nos sustinemus, vendere pignus creditorem nullo modo posse. Sed est illud cum distinctione quâdam intelligendum. Forte enim debitor dixerit, ne pignus distraheretur, quia illud sibi conservare mallet, non omnino pignoris venditionem inhibuit, sed votum expressit, ne re sibi carâ privaretur; quo casu, quia non expressa prohibitio est, admisere leges, ut post triplicem interpellationem creditor distrahere pignus posset: sed ubi verbis expressis debitor dixit, se nullo modo neque ullo in casu velle, ut res sua distrahatur, et sic prohibitio vendendi manifesta adest; tunc saltem verum est quod probavimus, distractionem pignoris creditori omnino prohiberi.

Præter creditores autem sunt et alii qui, quamvis domini non sint, tamen transferendi traditione potestatem habeant, domini voluntate concessam; uti omnes illi quibus ex generali aut speciali domini mandato datum est, ut rem ejus tradendo alienent: nihil enim interest, utrum ipse dominus tradat rem suam, an voluntate ejus alius (1), cum quod per alium quis facit, ipse fecisse videatur. Quâ ratione si cui nominatim injunctum est a domino, ut rem tradat, nemo ambigit, quin dominium ejus rei transferat in accipientem (2), nec ulla hic

(1) Inst. lib. 2, tit. 1, § 42.
(2) L. 37 ad SCtum Treb...., L. 33 ff. de acq. poss. etc.

exceptio, quoniam in speciali mandato non potest dubitari de voluntate domini. Sed quæ mandati generalis, universam negotiorum administrationem permittentis, vis sit, quæritur; quod ex voluntate mandantis eruendum. Et quidem certum est, procuratorem cui bonorum administratio data est, alienare rem mandantis non posse, nisi ratio administrationis id flagitet, aut clausulâ speciali excipiantur, quæ alioquin aut non concessa aut non tam plene concessa essent. An vero latius pateat, quo *libera* universorum negotiorum administratio data est, mandatum, quam, quo administratio simplex hâc voce *libera* non adjectâ; inter quosdam ambigitur (1), sed merito negat VINNIUS ad § 42 Inst. de A. R. D., quia administratio, quantumvis simpliciter concessa, non minus libera concessa intelligitur, et ut maxime libera sit administratio, tamen administratio est, nihil amplius.

Ut autem paucis verbis complectamur quæ diffusius hic proposuimus, sit hæc de potestate alienandi regula:

Dominus rem suam tradendo rem suam alienare potest, nisi aut lege aut ultimâ hominis voluntate prohibeatur : alii autem qui domini non sunt, tradendo rem alienare ipsam possunt, si lege aut domini voluntate alienandi jus ipsis concessum sit.

Requiritur 2° potestas acquirendi dominii in accipiente : hinc si res immobilis tradatur manui mortuæ, dominium non transfertur. De rebus autem quæ in commercio non sunt, non

(1) Distinctio hæc a nonnullis admissa, ut commentitia et veteribus incognita ab interpp. doctissimis rejicitur; inter quos DUARENUS ad L. 1, § 20. De acq. poss.. DONELL. 4, comm. 15.... VAUDIUS 1, quæst. 47, etc.

loquemur, quia, cum earum dominus nemo fieri possit, palam est, ipsas traditione non alienari.

§ 3.

Expositum jam satis a nobis esse putamus, quidquid de voluntate et potestate exponendum esset. Sed quæstio superest hic quoque tractanda, utrum ad translationem dominii nudum factum traditionis sufficiat (cæteris requisitis adstantibus), an vero requiratur talis traditio quâ rei traditæ possessio vacua (hoc est ab omni alio detentore libera) in accipientem transeat; ut ecce: fundum tibi vendidi qui ab alio possidebatur, et dum forte possessor peregre aberat, eum tibi tradidi dominii transferendi causâ, tu eum ingressus es eo animo, ut capias quod traditur et dominus fias. Quæritur, an, quia vacua possessio tradita non est, nihilominus fundus tibi acquiratur? et nos putamus, quamvis fundi possessio translata non sit, tamen translatum esse dominium (1).

Imprimis ex ante dictis patet, et per se admodum clarum est, possessionis translationem simplici et naturali tradendi facto nequaquam inesse; cum solâ traditione hoc solum efficiatur, ut res tradita abeat in potestatem accipientis. Ergo probent, qui possessionis translationem adesse volunt, eam ad dominium transferendum aliunde requiri, sive ex rerum naturâ sive ex auctoritate legum: ast quomodo probarent, cum rerum naturæ et legibus fiat satis, ubi simplex traditionis factum non translatâ possessione intervenit?

(1) Sententiam nostram amplexi sunt DD. MAURISSEN, ad ff. tit. de A. R. D., DONELL. 4, Comm. 19, PLACENT., AZO, ACCURS., ODOFRED., BART., BALD. etc.; impugnavit autem VINN. ad Inst. lib. 2, tit. 1, § 40.

Nimirum possessionem cum dominio nil commune habere, docent L. 12, § 1 ff. de adq. vel amitt. possess. et L. 1, § 2 ff. uti possid.; unde facile separantur, ita ut apud unum possessio sit, dominium apud alium, et quemadmodum possessio transferri potest absque eo quod dominium transferatur, quod nemo negat, sic quoque dominium absque eo quod transferatur possessio. Ergo non obstat rerum natura, quominus traditione transferatur dominium non translatâ possessione; sed nec leges obstant, cum nullibi possessionis translationem requirant, ubique traditionis simplici facto contentæ. Ast, inquiunt, leges ideo traditionem in transferendis dominiis requisiverunt, ut eâ mediante possessio in accipientem transeat (1). Sed si verum amemus, ideo potius traditionem leges requisiverunt, ut voluntas dominii transferendi in tradente et acquirendi in accipiente exterius manifestetur (quod ante diffusius demonstravimus). Jam vero æque manifesta fit hæc contrahentium voluntas, sive per traditionem possessio detur, sive non detur, nam signum externum quod de voluntate fidem facit, idem est.

Hæc insuper confirmat L. 16 ff. de fundo dotali, in quâ mulier a Tryphonino proponitur, quæ fundum, quem Titius possidebat et prope jam usuceperat, marito in dotem dedit, in quâ proinde agitur de casu, ubi possessio fundi non erat penes mulierem, et tamen ponitur mulier hunc fundum in dotem dedisse, hujus fundi dominium in maritum transtulisse. Nec dicant, hic agi de casu quo promissus tantum fundus sit in dotem, non traditus; qui enim promisit nondum dedit, atqui

(1) Ait Vinnius loco laud. : *Traditio non propter se, sed propter possessionem videtur requiri.*

dedisse mulierem fundum in dotem JCtus clare definit. Deinde scriptum est in hac eâdem lege, posse maritum fundum a Titio avocare; quod non posset, si fundi dominium nactus non fuisset. Præterea JCtus ponit, *fundum dotalem esse constitutum*, sed fundum dotalem sic accipimus, cum dominium marito quæsitum est, docente L. 13 § 2 ff. de fund. dotali.

Contrariam sententiam sustinentes hisce nostris argumentis objiciunt :

Principium juris esse, ut si quis rem ab eo qui dominus non est traditam accipiat, cujus dominium acquisivisset, si verus ipsam dominus tradidisset, loco dominii acquirat conditionem usucapiendi. Atqui si fieri posset, quod nos affirmamus, ut rei dominium transferatur non translatâ per traditionem possessione; illud principium falleret, siquidem re a non domino traditâ ac possessione ejus non translatâ, cujus accipiens dominium nactus esset, ut aimus, si verus eam dominus tradidisset, conditio usucapiendi accipienti non acquiratur ob deficientem scilicet possessionem (1). Sed principium non fallit, si eo accipiatur, quo modo accipi debet, ita nempe, ut tunc demum procedat, si cætera adsint quæ ad usucapionem desiderantur requisita, scilicet si bona fides adsit et possessio præter titulum; sed in casu deest possessio, ergo non est applicandi locus.

Objiciunt etiam hæc legis 3 § 1 ff. de act. empt. verba : « *si quis fundum dari stipuletur, vacuam quoque possessionem dari oportere stipulari intelligitur.* » Unde colligunt, rei do-

(1) Vinn. loco laud. nisus arg. L. 11, § 1 ff. de act. empt. et L. 46, 1 ff. de evict.

minium traditione translatum dici non posse, nisi transferatur vacua possessio; sed eorum quæ colligunt, nihil ex istà lege sequitur. Nam quod in eà scriptum est: *vacuam quoque possessionem dari oportere ex stipulatu,* verum est; ast non ideo verum, quasi vacuæ possessionis datio necessaria esset ad translationem dominii hujus, quem sibi quis stipulatus est, fundi, sed ideo verum est, quia qui fundum stipulatur, eo sane animo est, ut fundi possessionem nanciscatur.

CAPUT QUARTUM.

Quid denique circa ea jure hodierno constitutum?

Ultimam aggredimur quæstionem, quæ primo quidem intuitu præcedentibus facilior nobis visa est, sed intime examinata æque difficilis, ne dicam magis, apparuit; connecti enim eam cæteris quæstionibus existimamus, ita ut complectatur, quidquid cæteris quæstionibus propositum est. Unde ut rite procedamus in hujus quæstionis solutionem, iisdem quæstionibus secundum jus Hodiernum respondendum nobis est, quibus antea secundum principia juris Romani respondimus, quod ordine faciemus.

Ad primam porro quæstionem (quid sit traditio) pauca dicenda veniunt, cum eadem sit hodie traditionis naturalis significatio, quæ de jure Romano. Sed quia hodie traditione possessionis translatio potissimum atque fere unice (ut ex sequentibus patebit) operetur, eam Codex in sensu restric-

tivo definit, quod sit rei in alterius potestatem ac possessionem translatio, art. 1604. Cæterum et symbolicas traditiones art. 1605 et 1606, § 2, et traditiones fictas art. 1606, § 3, et quasi-traditiones quoque art. 1607 Codex Gallicus agnoscit.

Ad quæstionem secundam pro parte jam responsum est, nam quod ad primam hujus quæstionis partem diximus (quo jure traditio ad dominium transferendum requiratur), idem hic dicendum venit; quid autem ad aliam ejus partem et ad quæstionem ultimam respondendum sit, videbimus.

Immenso temporis spatio mediante, jam inde a confectione corporis juris civilis Romanorum, quædam homines experientia quotidiana docuit, quorum notitiam nullam aut saltem erroneam Veteres habebant, quædam urgentibus necessitatibus et jubente rerum ordine recepta sunt, quæ remotis istis temporibus ignota laterent, quædam abolita, quæ olim per totam Europam sparsa vigerent. Scilicet sublatum est atque deletum quidquid hominum imperitia aut crudelitas in lucem edidit, humani generis opprobrium, prodieruut quæ sublimem hominum naturam magis decent, recti cura, libertatis amor, tum etiam recessum est a strictis nonnullis quibus Antiqui pertinaciter adhærebant principiis, ut omnia magis ad æquitatem naturalem reducerentur: quod feliciter factum esse, omnes paucis exceptis lætantur. Ast cum nimiâ emendandi curâ forsan laborarent hujus ævi legislatores, aliquando mutatum fuit in malum, quod bonum erat, aliquando in pejus, quod malum. Unde jus civile, quo nos Belgæ regimur, aut alii populi reguntur, auctum, correctum, vel etiam corruptum est.

8.

Ea vero quæ natura ipsa populos docet, quia immutabilia sunt, omni jure rite concepto eadem observantur, omnibusque temporibus eadem exstiterunt tanquam divinæ sapientiæ fontes, unde sua legislator principia exhauriret (1).

Inutilis itaque labor esset, longis probare argumentis, quod nullus negat, cum ratio naturalis suadeat, jure nostro uti jure Romano ad translationem dominii traditione operandam requiri voluntatem illud transferendi in uno, acquirendi in alio. Nullius quoque momenti foret demonstrare, potestatem acquirendi dominii in hoc, amittendi in illo desiderari; cum hodie, sic ut antea, quosdam leges, quosdam res ipsa, alios aliæ rationes incapaces reddant, qui dominium transferant aut acquirant. Sed maxime oportet inquirere, an jure Hodierno traditio requiratur iisdem in quibus diximus eam requiri jure Romano casibus, quid requiratur et quibus in casibus.

Quamobrem, collatis undique quæ huc spectant legum dispositionibus, probare conabimur, traditione hodie vix opus esse ad dominii translationem; jure enim nostro præter obligationem rem transferendi (quæ porro voluntatem et potestatem includit, cum obligatio non intelligatur, nisi in quam contrahentes consenserint, et consentire potuerint) *nihil insuper requiri* ad translationem dominii actu inter vivos operandam, neque traditionem neque transcriptionem, exceptis quos indicabimus casibus, quorum quidem exceptio Codice nominatim expressa ea quæ generaliter constituta sustinemus, confirmat.

(1) Jus Naturale cum genere humano rerum natura prodidit. Inst. L. 2, t. 1, §. 11.

§ 1.

Quid de traditione, quatenus ad translationem dominii requiritur, jure Hodierno statutum sit?

Ex iis quæ ad quæstionem secundam retulimus, certius factum est, traditionem non ex ipsâ rerum naturâ desiderari, sed jure civili apud Romanos ex causis omnino validis requisitam fuisse, jus autem Romanum uti omne quod ante Codicis Gallici hodiedum in nostrâ regione existentis publicationem valebat, abrogatum est in hisce saltem punctis, quorum materia hoc nostro Codice tractatur. Ergo quia in Codice Gallico de dominii translatione agitur (1), ideo non ea in dominiis transferendis quærimus quæ olim quærebantur, sed ea dumtaxat quæ Codice Gallico speciatim statuuntur. Videndum ergo, an et quandonam Codex Gallicus traditionem ad translationem dominii requirat; hoc autem ut clarius fiat, distinguamus rursus, uti ante fecimus, inter varios quibus dominia transferri possunt modos. Transferri autem dominia possunt vel accessione, vel præscriptione (art. 712), vel successione ab intestato, vel actu ultimæ voluntatis, vel actu inter vivos.

In dominiis accessione vel præscriptione transferendis traditionem non venire, ipsa accessionis et præscriptionis docet definitio.

In dominiis successione ab intestato transferendis traditionem leges non quærunt, sed bona ad hæreditatem spectantia in hæredem legitimum aut alios qui ex lege succedunt,

(1) Nempe articulis postea citatis et Codice civili passim obviis.

quamvis hæredes legitimi non sint, (nempe liberum naturalem, conjugem aut fiscum) crude transmittunt, quamvis hi ipso jure non habeant quod voce gallicâ *saisine* designatur; uti probatur art. 723, vi cujus bonorum dominium transfertur a momento delatæ successionis etiam in liberos naturales (à défaut d'héritiers légitimes, les biens *passent* aux enfans naturels etc.); uti probatur art. 767 et 768, quorum dispositionibus defuncti bona defuncti conjugi, aut deficiente conjuge fisco acquiruntur (les biens de la succession *appartiennent au conjoint non divorcé,* art. 767, à défaut de conjoint survivant, la succession *est acquise* à l'état, art. 768); uti demum probatur art. 724, 770 et 773, quibus hoc solum filiis naturalibus, conjugi defuncti aut fisco injunctum est, ut bonorum possessionem impetrent, ex quibus proinde patet, bonorum dominium filiis naturalibus, conjugi aut fisco jam inde acquisitum esse.

Obstant tamen interpretes nonnulli (1), sustinentes voce hàc *saisine* non possessionis tantum dationem sed et dominii translationem importari; unde negant, liberis naturalibus aut conjugi superstiti aut fisco bonorum successionis dominium acquisitum esse ipso jure, et, acquiri tantum mediante possessionis datione a judice impetrandâ, affirmant, ideoque, antequam possessionem nacti sint, nullum jus a liberis naturalibus aut conjuge transmitti posse, quippe quibus nullum jus quæsitum est.

Ast sententiam suam nullo argumento confirmant, quin imo ex ratione ipsâ quam afferunt, demonstrare facile eo-

(1) V. les Auteurs des Pandectes franç., sur l'art. 723.

rum error potest; dicunt enim, nec liberis naturalibus, nec conjugi, nec fisco *dominium* rerum ad hæreditatem spectantium statim acquisitum esse, uti hæredibus legitimis acquiritur, quia rerum harum *possessionem* quoque non statim nanciscuntur, sed impetrare debent; neque vident, ex eo ipso quod impetrare *possessionem* tantum debeant, necessario sequi, jam inde dominium in ipsos translatum esse, quemadmodum antea scripsimus.

Alios autem interpretes qui sustinent, ipsis liberis naturalibus quoque, conjugi aut fisco favorem voce *saisine* designatum competere (1), adversarii conantur refutare, nec refutatio difficilis est, cum expressis legum verbis contineatur; sed quid inde? Nonne liberis naturalibus, conjugi aut fisco, quamvis favore hoc non gaudeant, dominium tamen acquiri potest? Possessionem sane ipso jure non habent, sed dominium non ideo minus habere possunt, cum causa possessionis omnino a dominio diversa sit.

Et eorum sententiam ut falsissimam rejicit interpres alius non spernendus (1), qui liberis naturalibus, conjugi aut fisco possessionem ipso jure non dari, fatetur; sed adjicit tamen, etsi ipsis possessio non detur, dominium tamen acquisitum esse, adeoque et jus dominii transmittendi.

Cæterum transeundo animadvertimus, substitutam esse vocem hanc (saisine) et quodammodo successisse principio, quod antea in Galliæ provinciis quæ jure non tantum consuetudi-

(1) V. Lebrun, des Succ. liv. 3, ch. 1, n. 12.

(2) M. Chabot, Comm. sur les Succ. art. 723.

nario sed et jure scripto utebantur, quam maxime valebat (1), quodque hâc voce vulgari solebat exprimi : *le mort saisit le vif*, sed principia non omnino eadem hodiedum sic ut antea observari, abrogatum vero esse Codice Gallico, quidquid antea de hâc re diversum apud Gallos invaluerat.

Et ea quidem omni casu certa sunt in conjuge aut fisco succedente, quia nec conjux nec fiscus concurrere cum iis potest, quibus competit quod vox gallica *saisine* importat; in liberis etiam naturalibus difficultatem nullam patiuntur, si deficientibus iis, quibuscum aliter concurrissent, soli succedant. Ast ubi cum aliis concurrunt, quibus lex dat quod voce istâ designatur, dubitari posset, an bonorum quæ ad eos pervenire debent, proprietatem habeant a momento delatæ successionis, cum potius bonorum dominium apud eos videatur esse, qui favore voce *saisine* designato gaudent. Sed Clariss. Dominus Decoster existimat, voce eâdem *saisine* non dominii sed possessionis dationem importari; unde, quamvis alii eâ (saisine) gaudeant, liberis nihilominus naturalibus hujus partis, quam leges ipsis reservant, dominium acquisitum est, nisi alia ratio obstet, quominus dominium acquisitum sit, quia scilicet ipsis debita est summa pecuniæ : notandum enim hic quoque est, pecuniæ dominium translatum non intelligi nisi specierum traditio facta sit.

Si actu ultimæ voluntatis dominium transferendum sit (nempe legato, non hæredis institutione; nam moribus nostris valet

(1) Lebrun, Traité des Succ. liv. 3, ch. 1, n. 1 et 2... Papon, liv. 21, tit. 6, arr. 2... V. la Coûtume de Poitou.... et De Ferrière, diction. de droit, ad verbum *saisir*.

hæc regula : *la loi fait les héritiers, l'homme fait les légataires)*, etiam rei legatæ dominium in legatarium absque traditione transit.

Et quidem si legatum universale sit, bonorum defuncti dominium in legatarium ipso jure transfertur, atque cum dominio bonorum quoque possessio, si non adsint quibus leges portionem legitimam reservant (art. 1006), sin vero adsint, bonorum quibus disponere testator potuit possessionem non aliter consequitur, quam si eam ab ipsis impetraverit (art. 1004); sed nihilominus in speciebus ipsi debitis jure dominii gaudet a momento delatæ successionis, si verum sit, datione ejus quod vox *saisine* importat, non hoc effici, ut dominium transferatur in eos qui eâ gaudent, sed possessio tantum.

Si titulo universali legatarius institutus est, idem est, ac in legatario universali, qui concurrit cum hæredibus legitimariis (quibus portio legitima reservatur); legatarius enim titulo universali institutus nunquam ipso jure habet quod sibi vult vox *saisine*, sive exstent hæredes legitimarii, sive legatarius universalis scriptus sit, sive cum aliis succedentibus concurrat (art. 1011).

Si tandem titulo particulari quid legatum sit, rursus absque ullo traditionis facto dominium rei legatæ ipso jure in legatarium abit, modo species pure legata sit; nam idem utique principium ponimus, illum cui lex dat bonorum *saisine*, non ideo bonorum habere dominium sed possessionem: unde impetrari ab ipso quidem legatarius possessionem rei legatæ debebit, sed ab eâ impetratione dominii translatio non dependet. Objicietur forte art. 1014, qui legatario non jus in re, sed ad rem, non reale, sed personale tribuit (un droit

à la chose léguée). Sed responsum paratum est, nempe hujus art. dispositio omnia legatorum genera complectitur, non modo speciei sed et quantitatis, in legatis autem quantitatis jus reale non acquiritur alias quam si traditio specierum facta sit, uti jam vidimus et adhuc videbimus.

Debet autem species pure legata esse, namque si genus legatum sit, speciei electio facienda est, antequam dominium transferatur, sed electâ semel specie (ita ut electio ex pœnitentiâ mutari amplius non possit) dominium ejus absque ullo alio facto in legatarium nostro jure, uti jure Romano, abit. Quod in legatis alternativis quoque obtinet.

Si quantitas legata sit, non aliter dominium transfertur quam si traditio fuerit subsecuta, ob easdem quas ante, cum de jure Romano quæstio esset, allegavimus rationes.

Si legato conditio aut dies adjecta sit, ad existentiam conditionis aut diei dominii translatio suspenditur, sed die vel conditione semel existente fit rursus ipso jure, hoc est sine traditione.

Et huc usque eadem fere sunt juris Hodierni, quæ juris Romani fuerunt, principia; sed diversa quæ sequuntur. Jure scilicet Romano valebat legatum rei alienæ, cum eam alienam testator sciverit, jure autem Gallico legatum rei alienæ est omnino nullum (art. 1021), etiamsi res hæredis legata sit, cum ea quoque aliena sit.

Superest, ut explicemus, an et quibus datis casibus traditio nostro Codice requiratur ad dominii translationem actu inter vivos operandam. Et quidem probabimus, eam non am-

plius requiri nisi in rebus corporalibus mobilibus (choses purement mobilières); rerum enim immobilium proprietatem transferri eo ipso, quod obligatio transferendi adest, nisi donatio facta sit (quo casu transcriptio requiritur art. 938 ad 941); in rebus autem incorporalibus veluti jure vel actione transferendis translationem non fieri, nisi debitori significata fuerit vel actu authentico a debitore accepta (art. 1690).

Quod autem rerum immobilium proprietas sine traditione solâ transferendi obligatione transferatur, illud imprimis probatur ex art. 1138, cujus contextu evidenter hoc patet (1).

Probatur insuper art. 74, in quo verbis omnino claris decisum est, dominia *effectu obligationum* transferri, adeoque sine traditione. Conferatur iis art. 1141 traditionem requirens ad transferendum dominium rerum pure mobilium, cum dominum hunc potius esse dicat, qui rei possessionem traditione nactus est, quam alium, cujus tamen titulus titulum alterius præcedit; ubi, si traditio non requireretur, præferendus esset qui jam postponitur (2): unde scilicet deducimus, traditionem ad translationem dominii rerum immobilium non

(1) En verba hujus art. gallice prolata : « l'obligation de livrer la chose » est parfaite *par le seul consentement* des parties contractantes. *Elle rend* » *le créancier propriétaire......, encore que la tradition n'en ait point été faite.* » Quibus ex verbis eamdem quam nos deducimus, sequelam interpretes omnes deduxere, puta Sirey sur l'art. 1138, Merlin, Grenier et illi qui Pand. Gall. conficiendis allaboraverunt.

(2) Art. 1141 sancitum est porro axioma hoc : *potior est causa possidentis* (V. L. 15 Cod. de rei vind.) quod jure veteri quoque valebat. (V. la Coutume de Paris, art. 170.... d'Orléans, art. 44).

requiri, siquidem per modum exceptionis requiratur ad translationem mobilium, et exceptio regulam firmet in casibus non exceptis. Hæc confirmantur verbis ab oratoribus Gallicis in hâc materiâ prolatis, et traditionem tamquam meram Romani juris subtilitatem improbantibus.

Sed objiciunt varia, et imprimis quidem art. 1583, ex quo rei venditæ sed nondum traditæ dominium in emptorem transfertur, *respectu habito ad venditorem*, adeoque non transfertur, si respectus habeatur ad alios (à l'égard des tiers), nisi quid aliud interveniat. Et hoc quidem confirmare videtur art. 1140, titulum *de venditione*, sub quo art. 1583 continetur, indicando tanquam effectus ex obligatione rei præstandæ oriundos definientem. Sed animadvertimus primo, art. 1140 non respexisse ad art. hunc 1583 sed ad art. 1604 et sequentes.

De articulo 1583 autem, ut rite intelligatur, paulo diffusius tractandum. Et quidem inutile forsan non erit exponere, quasnam in confectione suâ mutationes articulus hic passus fuerit, antequam ejus dispositio sancita fuerit : nempe primâ ejus redactione omissa erant verba, de quibus litigamus (et la propriété est acquise de droit à l'acheteur à l'égard du vendeur), postea sectione legislationis (par les membres de la section de législation) addita sunt sequentia : *et la propriété est acquise de droit à l'acheteur vis-à-vis du vendeur* (1), ultimo tandem loco verbi hujus *vis-à-vis* positum est verbum *à l'égard*, quod in codice Gallico repetitum quoque reperimus. Sed videamus, quomodo verba hæc interpretes soleant explicare. Putant autem nonnulli (2), verbis hisce hoc solum im-

(1) V. art. 2 du premier projet et le procès-verbal, tome 3, pag. 398.
(2) Les Auteurs des Pand. franç. ad art. 1583.

portari, a venditore in emptorem nihil juris præter quod ipse venditor habet, transferri; servari nempe jura aliorum in rem venditam, puta servitutes, hypothecas etc., quum nemo in alium plus juris transferre possit quam ipse habet, quasi scriptum esset, dominium emptori acquiri, *quale apud venditorem* fuerat. Atque inde deducunt, verba prædicta non impugnare, quominus sine traditione dominii translatio fiat. Sed nos existimamus, talem interpretationem verbis extorqueri non posse, quæ verbis nequaquam inest, ideoque magis eam rejicimus, quia falsum est, quod omni casu sine traditione rei venditæ dominium transferatur, ubi ex art. 1141 probatum est, rei mobilis dominium non nisi mediante traditione transferri. Unde præferimus hunc ipsis sensum dare magis proprium et naturali verborum *à l'égard de*, *vis-à-vis de* significationi conformiorem, nempe: ab art 1583 translationem dominii rei venditæ nec dum traditæ inter venditorem et emptorem restrictam esse; non ideo, quasi traditio generaliter requireretur, ut translationi locus esset relative ad alios, sed ideo, quia hic art. complectitur res non tantum immobiles sed mobiles quoque, rerum autem mobilium dominia non transferuntur, nisi factâ traditione, quod ex art. 1141 deduximus. Itaque si art. 1583 generaliter constituisset, rei venditæ sed non traditæ dominium transferri in emptorem sine traditione non tantum respectu habito ad venditorem sed etiam ad alios, contraria fuisset ejus dispositio dispositioni art. 1141 citati; ut autem contraria non esset, dispositionem suam inter emptorem et venditorem restrinxit, sese quoad translationem dominii respective ad alios referens ad hoc, quod de translatione dominii art. 711, 1138 et 1141 generaliter statutum est.

Aptum vero hunc locum esse existimamus notandi, fieri

omnino posse, ut dominium translatum intelligatur respectu habito ad solum transferentem vel ad transferentem et alios quosdam, quamvis non ideo translatum habeatur respectu habito ad cæteros omnes, quorum interest, ne translationi locus fuerit; quod sic intelligendum est: translatum dominium intelligi erga eos quibus dominii translatio potest opponi, translatum non intelligi erga eos quibus dominii translatio opponi nequit. Nimirum, quoties leges translationem dominii, in quam ab utrâque parte consensum est, usque ad factam traditionem aut aliam formam observandam differunt et quasi suspendunt, hoc non contrahentium gratiâ faciunt, sed aliorum commodo et favore admittunt, ne decipiantur ab eo qui rem suam alienavit, cum alienationem factam ignorant. Ideoque inter contrahentes valet alienatio, valet dominii translatio, etsi traditio non facta vel alia forma non observata fuerit, etiam in iis casibus, quibus tamen leges traditionem aut aliam formam præscribunt observandam, ut dominium translatum intelligatur respectu habito ad alios, quibus porro dominii translatio non nisi perfectâ traditione aut aliâ formâ adhibitâ opponi poterit. Et ea firmantur imprimis art. 1583 et 1141, quos mox indicavimus, et quorum priore verbis haud dubiis expressum est quod nos sustinemus principium, posse nempe rei dominium emptori acquiri respectu habito ad venditorem, quamvis non acquisitum intelligatur respectu habito ad alios (1); altero vero scriptum est, ut, si pluribus quis rem suam alienandam obligaverit, illi dominium acquisitum in-

(1) Art. 1583 sic habet : « elle (la vente) est parfaite entre les parties, et » la propriété est acquise de droit à l'acheteur *à l'égard du vendeur*, dès » que, etc. »

telligatur, cui res tradita fuit, etiamsi aliorum tituli tempore præcesserint : unde porro sequitur, dominium rei mobilis translatum non intelligi respectu habito ad alios, donec tradita res fuerit, intelligi tamen translatum respectu habito ad eum qui in translationem ejus consensit, et a quo porro defectus traditionis opponi non poterit. Firmantur insuper hæc principiis lege admissis, cum de donatione quæstio esset; rerum enim quæ hypothecis gravari possunt, transcriptionem requirit art. 939, si in donatione venerint, defectumque transcriptionis opponi ab aliis non posse, articulo 941 definitum est; adeo ut rerum donatarum dominium translatum intelligatur etiam sine transcriptione respectu habito ad eos, qui defectum transcriptionis opponere non possunt, translatum vero non intelligatur respectu habito ad eos, qui defectum transcriptionis opponere possunt. Firmantur demum et legibus ante Codicis publicationem vigentibus, uti lege latâ 11 Brum. anni VII, cujus sensum postea, ubi de transcriptione, explicabimus (1).

Sed redeamus ad ea quæ sententiæ nostræ objiciuntur.

Si verum esset, inquiunt, traditionem non amplius requiri ad transferenda rerum immobilium dominia, de traditione rerum immobilium mentio habenda non fuisset; atqui tamen de traditione mentionem Codex Gallicus facit, nempe art. 1604 et sequentibus : ergo, etc.. Sed falsum argumentum; namque Codex Gallicus de traditione tractat, quia traditio necessaria est ad possessionis translationem, sed errant qui dicunt, eam ne-

(1) V. art. 26 legis citatæ. V. TARRIBLE de Priv. et Hyp. tom. 2, cap. 2, sect. 1, §. 3, n. 212.

cessariam esse ad translationem dominii, quia de eâ Codex Gallicus tractavit.

Et hæc quidem satis probant, traditionem generaliter non requiri, ut dominia actu inter vivos transferantur; sed probandum in nobis suscepimus, nullum aliud factum desiderari, solam transferendi obligationem sufficere sive transcriptione opus non esse.

§ 2.

Transcriptione opus non esse, ut dominia rerum immobilium actu inter vivos transferantur.

Antequam quæstionis hujus solutionem aggrediamur satis implicatam, principiis tamen ex variis Codicis nostri articulis desumptis confirmatam, auctorum assensu unanimi corroboratam (1), tum etiam quam plurimis curiarum sententiis atque decisionibus sancitam (2), adeo ut merito pro lege a jurisprudentibus habeatur; præstat exponere, quid circa punctum hoc ante Codicem publicatum in Galliâ observaretur.

Porro lata fuit ultimo lex 11 Brum. Anni VII leges præcedentes omnes abrogans, quâ verbis expressis statutum, ut immobilium proprietas non nisi transcriptione factâ in acquirentem transferretur.

(1) Inter quos MALLEVILLE, PERSIL, TARRIBLE etc.

(2) Ex quibus referre satis erit sententiam latam a curiâ Cass. 8 Maii anni 1810 (V. SIREY, 1810, pag. 265) aliamque latam 16 Oct. anni ejusdem (V. eumdem, 1810, pag. 25).

Et quidem imprimis hujus legis art. 26 scriptum est, transcriptionem in transferendis immobilium dominiis requiri, neque dominii translationem ulli opponi posse ab acquirente, nisi transcriptioni locus fuerit.

Deinde art. 28 verbis haud dubiis definit, jus dominii ab uno in alium non nisi transcriptione factâ abire intelligi (1).

Quæ si simul unoque conspectu perpendantur, apparet, transcriptionis non hunc solummodo effectum olim fuisse, ut eâ mediante ab hypothecis immobilia purgarentur, sed potiorem ipsi vim concessam esse, ut nempe immobilium proprietas non translata intelligeretur, nisi intervenerit, et donec intervenerit, rem, etsi jam in ejus alienationem dominus consensisset, aliis tamen ab ipso valide alienari, hypothecari adhuc posse, quibus porro ex art. 26 opponi alienatio in acta non relata non poterat (2).

Et profecto sana hæc legis constitutio est, sapienti prudentiâ præscripta, quâ hominum fraudes occultis actibus latitantes avertuntur, quâ omnibus notum fit, quod ignorantibus damni esse posset. Ut ecce: cum transcriptione omnium conspectui patefactum est, aliquem rem suam vendidisse, nullus est quem hic in errorem ducere dolo malo possit, ut rem ejus quam jam vendidit, et cujus proinde dominium

(1) Art. 28 legis 11 Brum. ita concipitur : *la transcription prescrite par l'art. 26 transmet à l'acquéreur les droits que le vendeur avait à la propriété de l'immeuble.....*

(2) Tarrible de priv. et hyp. tom. 2, cap. 2, sect. 1, § 3, n. 212, idemque tom. 1, cap. 3, sect. 1, § 4, n. 146.

amisit, ab eo rursus emat ignorans, primam venditionem factam fuisse. Contra, ubi nullo modo apparet, rem venditam fuisse, nihil facilius venditori est, quam rem jam inde alienatam rursus rursusque aliis vendere aut hypothecâ gravare, quibus, se dominum adhuc esse rei venditæ, affirmaverit, et qui fraudis inscii hypothecam sibi datam existimabant quæ dari amplius non poterat, aut dominium sibi acquisitum quod alii jam acquisitum erat. Unde lugendum, quod hæc tam prudens tamque sapiens dispositio Codice nostro non ubique servata fuerit, maximeque optandum, ut, si in regione nostrâ nostri legislatores quædam mutanda proponant, hic eorum primus labor sit, hæc prima cura, sanctione suâ denuo renovare principium, quod leges ante Codicem publicatum latæ quoque sanxerant.

Cæterum non in omnibus Codex noster a legibus antea latis aberravit; namque in donatione transcriptio requiritur, ut rerum quæ hypothecâ gravari possunt, dominia transferantur, si donatæ res illæ fuerint, (art. 939) ita ut opponi defectus transcriptionis possit ab omnibus quos non involvit exceptio prolata art. 941.

Præter hanc autem exceptionem probabimus, nullo in casu Codicem transcriptionem actuum inter vivos requirere, ut dominium transferatur.

Nimirum quos antea citavimus art. 1138 et 711, ubi de traditione, huc quoque pertinent, cum ex iis sequatur, solam transferendi obligationem ad translationem dominii sufficere, adeoque nullum aliud factum neque traditionem neque transcriptionem desiderari; nulla vero in codice dis-

positio inveniri potest hisce articulis contraria, quâ scilicet transcriptio ad transferendum dominium præscribatur.

Contra datur caput 8 tituli *de privilegiis et hypothecis*, transcriptionem simpliciter proponens tamquam modum purgandi bona a privilegiis et hypothecis, cum tamen titulus secundus legis 11 brumarii anni VII latæ eam tamquam modum *proprietatis consolidandæ* proposuisset; ex quo demonstratum est, eam Codicem non amplius admisisse ut modum quo bonorum proprietas consolidetur, ut factum ad translationem dominii actu inter vivos rite operandam necessarium. Idem argumentum suppeditat art. 2167, in quo deletum etiam est verbum *consolider* quod antea ponebatur. Aliud autem suppeditat § art. 2182, unde a contrario deduci potest, venditorem per se, hoc est transcriptione non interveniente dominia aliaque jura quæ ipsi competunt, in emptorem transmittere (1). His addi potest, quod dictum est in discussionibus supra confectionem Codicis habitis, et quarum finis fuit, ut ex Codice tolleretur quæ transcriptionem præscribebat constitutio. Addi insuper potest sententia curiâ Cassationis 8 Maii anni 1810 lata (uti habet dominus Sirey, 1810, pag. 265) aliaque 16 Octobris anni 1810 lata (idem 1810, pag. 25), quibus scilicet decisum est, transcriptionem ad translationem dominii non esse necessariam. Addi tandem potest omnium fere interpretum auctoritas, Mallevillii, Persilii, eorum qui Pandectis Gallicis conficiendis allaboraverunt, aliorum.

Frustra quidam objiciunt art. 2181 et 2182 transcriptionem requirentes, nam, ut ex hisce articulis ipsis patet, transcrip-

(1) V. Tarrible, loco supra citato.

tionem requirunt ad purganda ab hypothecis bona, non ad bonorum dominia transferenda. Nec magis obstat, legibus Codicis confectionem præcedentibus transcriptionem præscriptam fuisse ad dominia transferenda, eam Codice nostro nullibi speciatim abolitam, juri autem antiquo standum, donec reperiatur correctum; nam quam allegant hic applicari regula non potest, siquidem materia in quâ versamur (de translatione dominii), ipso in Codice tractatur, adeoque ipso jure abolita sunt omnia quæ de eâdem materiâ antiquitus valebant.

Probatum ergo sit, hodie neque traditionem neque transcriptionem ad translationem dominii requiri, nisi in casibus specialiter exceptis. Quare autem jure Romano et legibus olim latis in hâc materiâ derogatum sit, et an derogandi locus aptus fuerit, nostrum non est inquirere.

XI.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM PHYSICARUM ET MATHEMATICARUM PROPOSITAM.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE

EX VIESVILLE,

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI

STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM PHYSICARUM ET MATHEMATICARUM PROPOSITAM:

Quid in corporibus generatim sumptis possimus cognoscere, quid non possimus? et quis proinde sit scopus, quem Physices studiosus sibi propositum habere debeat?

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST, HOC INSCRIPTA LEMMATE:

Quod si deficiant vires, audacia certe laus erit: in magnis et voluisse sat est.

JOANNIS BAPTISTAE MOTTE

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM PHYSICAM.

Ordo Disciplinarum Physicarum et Mathematicarum quærit: quid in corporibus generatim sumptis possimus cognoscere, quid non possimus? et quis proinde sit scopus quem Physices studiosus sibi propositum habere debeat?

Physica in sensu latissimo est scientia quæ omnem corporum naturalium cognitionem complectitur. Est autem cognitio hæc duplex, vel historica vel theoretica, et utraque plures continet partes. Physices studiosus est, quicumque aut unam aut plures partes excolere nititur; unde quæsitum arbitror, quis in cujuslibet partis culturâ scopus sit quem ejusdem studiosus sibi propositum habere debeat?

In primo hoc Academiæ certamine literario juvenilibus ausis certo multum concedetur indulgentiæ, cui fidens, quantum mihi per tempus licet, quæsito pro viribus sed contractim satisfacere conabor. Quod ut præstare possim, principio observandum opinor, quibus a naturâ mediis instructi simus,

ut ad cognitionem rerum naturalium pervenire valeamus, et deinde indagandum, quæcumque etiam sit Physices pars quæ excolitur, quid recto illorum mediorum usu cognoscere possimus, quid non possimus; illa si bene enucleaverimus, sponte profluet, omnes vires intendi debere ad ea determinanda et enodanda quæ cognoscere rite possumus, ac oleum et operam perdere illos qui in corporibus inquirunt, quæ cognoscere non est homini datum.

Nulla potest hic esse quæstio de ideis innatis, nec de instinctu, quo animantia bruta duci videntur, et inter media quibus ad cognitionem alicujus veritatis adduci possumus, duo tantum hic usui esse posse, sensum intimum scilicet et sensus externos, supervacaneum esset demonstrare; sensus enim actiones corporum naturalium primum excipiunt, et sensuum missû intelligenda ad mentis captum transferuntur; quod eo usque congruit cum axiomate Aristotelis « nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu. » Attamen si quas habemus de vitâ et organismo vegetalium et animalium notiones, eas non tam sensibus externis quam ope sensus intimi et ratiocinio acquiri inferius probabitur.

Sensus intimus non est nisi perceptio eorum quæ in animâ fiunt; universim sensus intimus versatur circa omnes et solas animæ actiones et modificationes, quæ in illâ præsentes sunt. Sic sensu intimo mens percipit, se cogitare, velle, dolere, lætari, libertate gaudere; pariter sensus intimus percipit veritates abstractas, e. g.: « impossibile est idem simul esse et non esse, » in quibus nil aliud quam idearum convenientia aut disconvenientia consideratur. Tandem sensu intimo mens percipit cogitationum suarum claritatem, affectionum intensio-

nem vel remissionem; sic quæ in animâ peraguntur, sensu intimo et nonnisi sensu intimo cognoscimus. Sed sensus intimus universim ad ea quæ extra animam fiunt, se non extendit. Quum autem corporis nostri conservatio et usus vitæ necessarii exigant, ut corpora externa eorumque inter se et in nos actiones aliquo usque saltem cognoscamus, sensibus externis donati sumus, qui fini huic diversis modis satisfaciunt.

Quamvis enim quilibet sensus externus summæ sit utilitatis, quamvis et gustus et olfactus corporibus discernendis sæpius, chemicis præsertim, inserviat; attamen nec gustus nec odoratus immediate et per se ad cognitionem corporum externorum nos perducit, sicut nec auditus ipse, quo a nativitate privati toto vitæ decursu loquelâ misere destituuntur. Qui sensus quamvis amœnum inter homines idearum commercium largiatur, corpora tamen externa per se nobis non exhibet, quod non faciunt nisi tactus et visus.

Verumtamen neque hi sensus aliud nobis exhibent, quam prædicata objectorum, non autem naturam illorum internam, neque etiam partes minimas earumque dispositiones in extimâ etiam corporum superficie latentes; quinimo integra quoque objecta ob suæ molis exilitatem, vel ob nimiam a nobis distantiam acutissimam etiam sensuum aciem effugiunt. Unde manifesta evadit regula Malebranchii: « de rebus quales in se sint, ope sensuum cave ne unquam judices; iis tantum utaris, ut cognoscas qualem res ad se mutuo et ad nos relationem respectumque habeant. »

Nec minus perspicuum est, innumera existere posse corpora, quæ sensuum nostrorum aciem semper effugiunt, et

numero longe plura quam illa sunt quæ in sensus sensibiliter agunt; unde sequitur, intimam rerum naturam ope sensuum seu per observationem detegi non posse.

Corpora autem quævis sunt entia contingentia et mutabilia, possent non esse, aliter esse poterant, quam actu sunt, igitur discere qualia sint non possumus, nisi observatione et experientiâ. Hæ sunt omnis physices fundamenta, et ipsa proinde experimentalis est scientia; ergò de corporum naturâ nihil *a posteriori*, et nihil *a priori* cognoscere licet; unde intima eorum natura semper homini manebit ignota, nec certus quis esse potest, an veram de materiâ ideam habeat, dynamicus sit, sive atomista.

Observatum est, materiam inertem esse, hoc est quod nullam habeat potentiam se sponte determinandi ad mutationem sui status. Inertia hæc nequaquam est aliqua materiæ proprietas positiva, sed potius uti defectus proprietatis cujusdam consideranda est; quamobrem non bene consociantur termini *vis inertiæ*. Si materia iners non esset, leges naturæ non essent immutabiles ac necessariæ, et legalitas naturæ percipi non posset; dicere tamen licet, quod materia statum suum sive motus sive quietis certâ vi tueatur (1), cum observatione constet, quod corpus motum nihil deperdat de suo motu, nisi in quantum alteri corpori communicat, aut in altero corpore destruit, pariter quod corpus quiescens in motum non deducatur, nisi destruendo tantumdem motus in alio corpore. Possumus etiam materiam considerare tanquam substratum, cui vires insint aut permanenter aut transitorie.

(1) E. G. Fischer, cui plura debeo, Elem. Phys. T. I.

Est autem lex quædam necessaria et immutabilis, nihil esse sine ratione sufficiente, ideo si quid fiat, necessario concludimus, adesse rationem aliquam sufficientem dati effectus. Rationem ejusmodi sufficientem *vim* appellamus; hinc facile intelligitur, unde et quomodo in nobis oriatur conceptus virium naturæ, quamvis vires nullatenus per se et immediate cognosci aut determinari valeant, sed solummodo per earum effectus.

Post observationes a sæculis factas in naturâ quatuor generalia virium genera huc usque distinguimus; vires scilicet mechanicas, chemicas, vitales aut organicas et psychicas, quas varias dicimus, quia diversis obsequuntur legibus et diversos producunt effectus. Indagando et determinando leges quibus singulum genus virium subjicitur, constituuntur quatuor diversæ partes Physicæ Theoreticæ; nullum enim genus virium vagum est, sed singulum adstrictum certis legibus.

Mechanicæ dicuntur vires quæ nihil nisi motum localem vel æquilibrium perficiunt; hujus generis sunt gravitatio, vis magnetica, impulsus quo corpus agit in corpus.

Vires chemicæ appellantur quæ ipsius materiei aliquam afferunt mutationem, ut si terra silicea et potassa, auctâ temperaturâ, in vitrum coalescunt.

Vires chemicæ ipsis materiebus, e quibus corpora composita sunt semper et immutabiliter inhærent, non augentur non minuuntur; nec nota est ulla corporum materia, quæ non viribus quibusdam chemicis prædita sit. Proinde mutationes locales producuntur per vires mechanicas; per vires

autem chemicas mutationes materiales; cum conceptus unionis homogeneæ semper comprehendat conceptum mutationis materialis, necessario sequitur, compositionem homogeneam sine compositione chemicâ non existere.

Attamen cum omnis materia iners sit, et nihil in statu suo sponte possit immutare, satis patet, in nullâ materiâ ab aliis segregatâ vires chemicas unquam detegi posse. Dum materia quædam cum aliis commiscetur, tunc solummodo prodeunt effectus, per quos vires chemicæ revelari possint. Generatim dicitur, dum diversæ materiæ vi chemicâ coalescunt, earum combinationem nullâ vi mechanicâ, sed solum modo viribus chemicis aut vitalibus dirimi posse: quod omni casu practice verum est, quamdiu agitur de corporibus ponderabilibus; sed experientia repugnat, si extendatur ad incoërcibilia, ut mutationes statûs aggregationis corporum satis demonstrant.

Triplex est enim status aggregationis corporum ponderabilium, sunt quædam solida, alia liquida, alia aëriformia. Pleræque materiæ ad certos temperaturæ gradus ex uno statu in alium transferuntur, et cum vires chemicæ quæ soliditatem causant in iisdem elementis, semper eædem sint, et semper limitatæ, vis autem ipsis opposita minui et in immensum crescere possit; videtur esse universalis naturæ lex, ut quælibet materia solida sit infra certum temperaturæ gradum, liquida supra hunc usque ad determinatum alium gradum, et aëriformia, si calor hunc gradum superet. In pluribus hoc quidem experientiâ comprobatur. Quæ autem semper aut solida aut aëriformia se præbent, illa probabiliter talis sunt indolis, ut gradus caloris et frigoris, ad quos mutatio accedere debet, in nostrâ non sint potestate.

Non solâ autem mutatione temperaturæ immutatur status aggregationis corporum; salia in aquâ soluta, oxida metallica acidis soluta comprobant, statum aggregationis etiam immutari per affinitatem chemicam, sicut etiam immutatur per compressionem mechanicam, per hanc enim vapores in liquidum transeunt.

Si causa caloris seu caloricum sit vere materia, tres istæ rationes ad unam, nempe affinitatem chemicam revertuntur; eadem enim materia plus calorici sibi combinatum semper habet in statu aëriformi quam in statu liquido, in statu liquido plus quam in statu solido, et ab hâc diversâ quantitate calorici latentis diversitas ipsius statûs dependet; hoc tamen casu combinatio chemica dirimeretur per vires mechanicas nempe per compressionem.

Vires organicæ dicuntur quæ phænomena organica producunt. Hoc genus virium a mechanicis et chemicis omnino diversum est; si enim omnem seriem materiarum organicarum perscrutemur, nulla usquam reperitur, quæ non omnino diversa sit ab illis quæ viribus mechanicis aut chemicis producuntur, nulla quæ his viribus proferri possit.

Quippe ipsa elementa e quibus organicorum materia constat, dum sunt in corpore organico, affinitatibus chemicis non obtemperant, sed alias omnino leges sequuntur. Quanquam non destruantur vires chemicæ in corpore organico, devictæ tamen famulari videntur viribus organicis. Attamen non semper idem nec absolutum aut unquam illimitatum est harum imperium, quandoque reluctantur vires chemicæ.

Quod si fiat, languescit corpus aut ægrotat, et nisi reprimi possint, mors sequitur et deinceps putrefactio; ingratum sed vegetantium nutritioni adeoque naturæ conservationi omnino necessarium phænomenon, quod quamvis non organicis sed chemicis viribus producatur, in nullo alio nisi organico corpore locum habere potest; scilicet alia corpora omnia affinitatibus chemicis producta legibus chemicis per se conformia sunt, et in se non continent ullum propriæ destructionis principium. Quæ autem viribus vitalibus efformata sunt, ubi vita cessat, mox committuntur viribus chemicis, per has citius aut serius decomponuntur, rediguntur in statum simpliciorem et ad regnum non organicorum repelluntur.

Ex dictis satis elucet, quare Chemici, quamvis corpora quæ e regno organico originem habent, omnia decomponere quidem possint, et eorum principia constituentia, non asseram omnia, sed saltem palpabilia cognoscere; nullam tamen ex eorum elementis, utcumque exiguus sit horum numerus, regenerare valeant, non solummodo non auriculam aut unguem, sed neque pilum felis, aut cerasi petiolum. Hinc non audiendi sunt qui verum sanguinem in laboratorio se produxisse venditant, et illos in vanum laborasse, manifestum est, quotquot sint qui voluerunt organicæ naturæ phænomena explicare viribus aut chemicis aut mechanicis, ex quo genere sunt hæc et similia: elevationem fluidorum in tubis capillaribus manifestam reddere rationem, quare succus arborum ac plantarum inde a radice ad summas ramorum foliorumque extremitates ascendant per tenuissimos canales, tubos capillares, ut perhibent, referentes: circulationem quasi mechanicam fluidorum per tenerrimos tubulos qui in corpore animali inveniuntur, explanare, et plura hujus generis phænomena.

Quod tandem ad quartum genus virium attinet, hoc nomine significantur vires internæ omnes quibus mens prædita est, et quæ psychicæ dicuntur; e quo genere sunt vis repræsentandi, reminiscendi, reflectendi, judicandi. Hanc Philosophi sibi partem vindicant, eamque ipsis illustrandam relinquimus.

His positis si nunc ad Physices divisionem progrediamur, primo occurrit Physica Historica, seu Historia Naturalis. Scientia hæc contemplatur omnia naturæ corpora quæ in sensus agere possunt, et quæ rerum naturalium investigatores dividunt in non organica et organica, hæc subdividuntur in vegetabilia et animalia; unde tres oriuntur partes quæ regna vocantur, scilicet regnum minerale, vegetale et animale. Mineralogia agit de corporibus solidis quæ solâ partium juxta-positione et agglomeratione formantur, nec proinde crescunt, nec vivunt, nec sentiunt, cujusmodi sunt terræ, lapides, salia, metalla. Botanica contemplatur plantas seu corpora, quæ intro-susceptione, ut aiunt, succorum proprie crescunt et vivunt, sed non sentiunt, hoc est sensu nihil percipiunt, neque se ipsa loco movent, ut sunt fungi, arbores, gramina, et cæteræ omnes plantæ.

Zoologia agit de animalibus, id est de corporibus quæ proprie vivunt, crescunt, sentiunt, et ipsa se loco movere possunt, ut sunt quadrupedia, aves, pisces. Historia Naturalis contemplatur universitatem corporum cujusque regni per omnes periodos, quas singulum successive percurrit ab ejus conformatione aut nativitate ad usque ejusdem destructionem.

Sed confusa est sine ordine moles naturæ vultus, et factâ

primâ divisione cujusque partis studiosus propositam sibi habet solutionem trium problematum. Per primum quæruntur divisio et subdivisiones omnium corporum quæ pars ipsa complectitur, sic ut singulum occupet locum ipsi convenientem, hoc est in classes etc. corpora ordinentur et distribuantur. Per secundum quæritur criterium facile et commodum quo corpus quodlibet ad vivum ita depingitur, ut ubicumque se offerat, dignosci possit et inveniri locus in methodo vel in systemate adoptato ipsi assignatus. Per tertium nomenclatio talis, ut exprimat ideam quæ non convenit nisi soli corpori cui denominatio dedicatur.

Variâ viâ auctores incedunt, præsertim ut ad convenientem mineralium distributionem perveniant. Illa scientiæ magis prodesse, et a Physices studioso mox cæteris præferenda videtur, quæ ad terminum ducit per proprietates simplicissimas, intellectu facillimas, et adhibet tentamenta quæ alienas notiones minus postulant.

Adeo tamen sensus externi distribuendis corporibus soli non sufficiunt, ut eorum ope nequidem tria naturæ regna rite discerni valeant.

Quod vel inde patet, quia in vanum laboratur, si externum aliquod quæritur criterium quo corpus non organicum a plantâ, planta ab animali possit sine ullâ ambiguitate distingui : quod enim in naturâ organicâ est phænomenon cujus similitudinem aliquam ars non possit proferre? Unde concludere licet, quod non tam sensibus externis quam sensui interno et rationi debeamus illas quas de vitâ et organismo habemus notiones; quæ enim his vocibus significantur, non

sunt phænomena quædam externa corporum, sed vires internæ; vires autem quæcumque, ut superius observatum est, nec manu palpari, nec oculis aspici, nec ullo sensu percipi queunt, sed solâ ratione et intellectu conceptus earum excitari in animâ possunt. Quæ sensibus observantur effectus sunt earum virium non ipsæ vires, et harum quam haberemus notionem, nisi eas sensu intimo in nobismet ipsis deprehenderemus? Cum in alio corpore comperimus eadem phænomena quæ in nobismet ipsis sensu interno et externo intuemur, cum ortum, rationem subsistendi, obitum, cum agendi rationem et quomodo alia afficiat, ab aliis afficiatur, diligenter animadvertimus, cum hæc omnia virtute mentis conjunctrice colligimus; tum non sensu, sed ratiocinio fere semper percipere possumus, cujus regni sit corpus exploratum.

Sed si Historia Naturalis ad solutiones prædictorum problematum restringatur, scientia maxime utilis et amoena commutatur in opus memoriæ siccum et sterile. Scientiarum autem Physicarum partes ita inter se omnes connexæ sunt, ut Historiæ Naturalis studiosus desideratos progressus facere non posse videatur sine adjutorio omnis Physices Theoreticæ, ejusque applicatione. Si enim perscrutari velit, quomodo corpora non organica formentur, quæ sint eorum principia constituentia, quomodo decomponantur, qui sint eorum usus tum in artibus et opificiis, tum in re domesticâ, quæ sit corporum organis instructorum forma externa, quæ structura interna, quis sit in illis partium usus ad vitæ sustentationem, quâ ratione et quomodo nutriantur et crescant, infirmentur et pereant, quis possit esse horum corporum usus in nostram utilitatem et oblectamentum, a quibus et quæ nocumenta nobis afferri possint, qui sint animalium mores, quæ

indoles, quid in quibusdam naturæ productis sit notabiliter singulare et a communi normâ recedens, in quibus terræ locis reperiantur mineralia, quæ sint climata in quibus nascuntur vegetabilia et animalia? ac alia ejusmodi multa, quæ omnia quo quis melius cognoscet, eo peritius intelliget Historiam Naturalem. Illa tamen omnia cum sine Physices Theoreticæ notione et applicatione detegi nequeant, abunde constat, sine hâc applicatione scientiam illam omnino expleri non posse.

Si nunc ad Physices Theoreticæ partes progrediamur, et consideremus virium genera quorum singulum Physices Theoreticæ partem constituit; facile declaratur, quis præcipuus debeat esse scopus Physices studiosi tam in singulâ parte theoreticâ quam etiam in Physicâ applicatâ. In Physicâ enim Mechanicorum non agitur nisi de constituendâ theoriâ legum quibus naturæ vires mechanicæ constanter subjiciuntur, et quæ leges nihil aliud sunt quam leges motus et æquilibrii; cum autem hæ aliæ sint pro diverso corporum aggregationis statu, necessario speciatim stabilire oportet : 1° Leges de motu et æquilibrio solidorum; 2° De motu et æquilibrio fluidorum aquæformium; 3° De motu et æquilibrio fluidorum aëriformium. Cum insuper admittamus materias non palpabiles, pro quarum tamen existentiâ aliud non habemus argumentum præter necessitatem explicandi certas phænomenorum series; speciatim indagandæ sunt leges motûs et æquilibrii harum materiarum. Cum enim pondere vel omni vel saltem sensibili destitutæ sint, nec impulsu moveri nec reactione sisti queant; certo peculiares leges sequuntur, quæ leges non sunt omnibus hujus generis materiebus communes, sed singula adstricta est peculiaribus; frustra enim hæ materiæ hypotheticæ multiplicaren-

tur, si phænomena pro quorum explicatione supponuntur, iisdem legibus exponi valerent.

Physica Chemicorum versatur in constituendâ theoriâ legum naturæ chemicarum, sive illarum quas vires chemicæ sequuntur in ipsâ corporum materie formandâ et immutandâ. Scientia hæc ad summum perfectionis gradum perducta esset, si cognoscerentur omnia corporum elementa simplicia, et combinationes omnes, quas elementa illa inter se efformare et non efformare possunt. Cum vero illa quæ natura nobis offert, forte omnia e simplicioribus composita et variâ ratione coalita sint; facile patet, Chemicis incumbere, ut composita illa secernant et dirimant, ac inquirant simplicia corporum principia. Proinde non est quod miremur, si Chemici, quantum potuerunt, semper conati sint, ad prima elementa revocare naturales substantias, quamvis nullus, se ad optatum exitum esse profectum, unquam certo scire valeat; ultima enim elementa ad quæ per analysim pervenitur, non alio argumento simplicia dicuntur, nisi quia nullâ arte illorum principia constituentia huc usque per analysim secerni aut per synthesim determinari queunt; demonstratione tamen non eget, inde minime deduci posse realem eorum simplicitatem, de quo in hâc scientiâ periti omnes conveniunt. Inter nostrorum temporum Chemicos illustris Davy dicit : « sine ullo fundamento assereretur, quod huc usque detectum sit principium quod non sit mutationi obnoxium; ergo tum magnus incipit error, quam primum illa, ad quæ ope decompositionis chemicæ devenimus, elementa pro materiis absolute immutabilibus assumuntur. »

Dynamici chemicam compositionem perfectam ita cogitan-

dam esse docent, ut a compositione mechanicâ non tantum gradu sed specifice differat, et nequaquam in juxta-positione molecularum consistat. Nullam in producto compositionis chemicæ perfectæ existere dicunt particulam, quæ massæ toti homogenea non esset. Materiarum A et B unio chemica, inquiunt, in eo ponenda est, ut ratio virium originariarum, a quâ solâ sensibiles materiarum proprietates, earum igitur diversitates dependent, et in materiâ A et in materiâ B cesset et nova earum virium ratio oriatur, ergo in sensu strictissimo materia nova producatur, in quâ nullibi jam A et B existant, igitur in minimis etiam spatiolis perfecte homogenia sit, sic ut per mechanicam hujus producti chemici divisionem, quantumvis continuatam, ad A et B devenire nullo modo possemus.

Atomistis objectant, quod hi unionem chemicam putent esse receptionem corporis unius inter poros corporis alterius, aut juxta-positionem corporis A et corporis B; non igitur secundum hanc opinionem specifice differre unionem chemicam a subtili partitione atque particularum dissimilarium compositione mechanicâ, et proinde separationem chemicam etiam a divisione mechanicâ specifice diversam non esse. Quid autem vetat, quo minus atomistæ, qui profitentur se elementa reatiter simplicia non cognoscere, supponant in chemicâ materiarum A et B compositione unionem elementorum simplicium in materiâ A et in materiâ B cessare, et quod nova illorum elementorum unio oriatur, ergo in sensu strictissimo materia nova producatur, in quâ nullibi A et B existant.

In hâc hypothesi quæri non posset, quomodo oxidum metalli e. g. argenti in acido nitrico soluti fiat pellucidum, quia de argento tamquam existenti in istâ solutione nullus esse posset sermo; quæri non posset, quomodo ex unione oxige-

nii quod acidum non est, cum basi non acidâ generetur acidum, nec quæri possent alia plura ejusdem rationis. Non est hujus loci percurrere argumenta, quæ quamvis non valeant hujus hypothesis veritatem demonstrare, eam tamen omni probabilitate non destitui convincant. In hàc etiam hypothesi si et apparatu et sensibus instructi essemus ad divisionem mechanicam pro libitu continuandam, ad elementa tandem pervenire possemus quæ inter se forsan essent distincta, atque materiæ hoc modo decompositæ principia constituentia sed simplicia forte exhiberent; unde autem constat hanc sequelam naturæ contrariam esse? Saltem facile concipi potest, quomodo ex ejus modi elementorum unione corpora formentur. Quo modo autem dynamici materiei formationem concipiant ex virium originariarum, vis attractivæ scilicet et repulsivæ æquilibrio? ipsi exponant.

Quidquid sit, ubi analysis cessat, ibi Chemici elementa practice agnoscunt. Ex magno elementorum numero qui quotidie crescit aut decrescit, et immensâ phænomenorum chemicorum multitudine satis perspicuum est, illa ad leges tam generales revocari non posse quam sunt leges Mechanicorum; attamen non desunt leges aliquæ generales, et hoc jam vivimus tempore, quo in omnibus terræ plagis, ubi scientiarum et artium vel minima etiam cura est, viri plures non minus acumine ingenii quam judicii præstantiâ eminentes indefesso labore moliantur, disciplinam constituere et amplificare, legesque generaliores stabilire, et tanto successu, ut hæc Physices pars e quâ plurimæ artes pendent, artibus fere omnibus vitæque uberrimos fructus nunc suppeditet et uberiores in posterum polliceatur.

In Physicâ Organicorum, quæ Physiologia dicitur, non agi-

tur nisi de investigandis et constituendis legibus virium vitalium. Proinde omnino diversa est hæc scientia ab Anatomiâ, quam præsupponit et quæ ad historicam potius quam ad theoreticam Physices partem referenda est; si quis enim vegetantium et animalium internam structuram et non solum illam quam oculo nudo et inermi, sed illam quoque quam nonnisi microscopiorum subsidio contemplari possumus, explicet; is leges virium organicarum exponit, sed formam partium quibus corpus organicum constat, quod argumentum totum historicum est.

Propriis quibusdam naturæ viribus et a mechanicis chemicisque diversis corpora organica et generari et, dum sunt, ligari, ex antedictis abunde patet; has autem vires non minus certas determinatasque leges sequi quam reliqua virium genera, ex hoc ipso manifestum est, quod corporum organicorum forma et reliqua indoles, si quid usquam in totâ naturâ, constantes semperque sibi similes sint, quæ leges tamen hoc etiam cum mechanicis chemicisque commune habent, quod cognosci nequeant nisi ex ipsis phænomenis eruantur.

Si jam tandem accedamus ad istas Physices partes, quæ sub nomine Physicæ applicatæ comprehenduntur, in iis phænomena explicationes sortiuntur ex universalibus naturæ viribus, quæ in prioribus partibus determinatæ sunt, quæ disciplinæ nihil aliud sunt quam collectiones ordinatæ earum explicationum; explicare enim phænomena meteorologica, aut plantarum animaliumque nutritionem quid aliud est, quam determinare, quibus naturæ viribus hæc phænomena producantur, et quibus harum virium legibus conformia sint?

Physica applicata duas complectitur partes. Geographia phy-

sica appellatur, quatenus exhibet explicationem phænomenorum naturalium; cujusque demum sint generis quæ in hoc telluris orbe sese offerunt, proinde hæc pars præsupponit notiones omnis Physicæ theoreticæ.

Astronomia appellatur, quatenus rationem reddit phænomenorum quæ extra atmosphæram terrestrem spectantur. Scientia hæc non exigit nisi notiones virium mechanicarum; quæ enim extra atmosphæram viribus chemicis producuntur phænomena, sensibus bene percipi nequeunt et proinde extra cognitionis humanæ terminos posita sunt: deinde nullâ ratione physicâ probari potest, corpora viribus vitalibus prædita extra atmosphæram reperiri.

Cum homini concessum non sit medium quo intimæ rerum naturæ cognitionem sibi comparare possit;

Cum vires quæcumque in se et immediate cognosci nequeant, sed solummodo per earum effectus;

Cum naturæ vires tam vitales quam chemicæ et mechanicæ legibus quam maxime determinatis pareant et invariabilibus, et proinde naturæ phænomena omnia regularitate et constantiâ sic procedant, ut datâ causâ ponatur effectus, idemque effectus redeat quoties revertitur eadem causa in iisdem circumstantiis;

Quæ cum judicio possint concipi; mens humana phænomenorum ordinem, vim et rationem, quam inter se servant, potest observare sicque leges reperire, secundum quas singula non solum actu fiant, sed posteris etiam temporibus futura sint; axiomatis igitur loco habendum videtur, observare

substantias et phænomena, atque analogiæ et inductionis ope ex iisdem ad generalia concludere sicque naturæ leges stabilire scopum esse quem physices studiosus sibi propositum habere debeat.

Sed hunc scopum an in omnibus et quomodo attingere poterit physices studiosus? Diximus omnem Physicam experimentalem esse scientiam, non quod observationes et experimenta scientiam per se constituere valeant, sed quia in physicis omne ratiocinium ab observationibus procedat; iisque innitatur oportet. Primo igitur observatio rite instituenda est et omni curâ cavendum, ne cum observatione verâ confundatur judicium falsum, quod quam facile et generaliter fiat, familiari sat constat exemplo. Quid enim omni ætate certius observatum habebatur, et nunc etiam quid certius a multitudine conclamatur, quam terram absolute quiescere omniaque corpora cœlestia indies ab ortu in occasum moveri? quod tamen nunquam observatum est. Primo igitur accurate discernendum quid vere observetur; quapropter si quis detegere velit legem, secundum quam certæ phænomenorum classes procedunt, eadem phænomena, ubi licet, sæpius reproducenda sunt et sub circumstantiis valde diversis, et attentâ mente explorandum, quænam sint essentiales ad producendum effectum, quænam hunc minuant, quænam augeant. Ex hujusmodi observationibus conclusio caute et legitime deducenda est, sicque eruere poterit legem hypotheticam præcipue harmonicam cum aliis naturæ legibus jam notis. Si phænomena sæpius repetantur, brevi animadvertetur, an lex illa hypothetica vera sit nec ne; si vero ipsa phænomena pro libitu repetere non liceat, attamen talia sint, ut naturæ processus illa sæpius reproducant, etiam progressu temporis satis decla-

rabitur, an lex ea naturæ consentanea sit nec ne. Sic Newton ipse gravitationis legem detexit, ut refert æquævus Pemberton.

Cum Newton anno 1666 pestem fugiens ruri degeret, et observaret omnia corpora terrestria versus terræ centrum ferri, perspiceretque lunam in ellipsi circa terræ centrum ferri non posse, nisi esset quædam vis, quæ eam quovis temporis momento a lineâ rectâ quam omnia corpora nota per inertiam sequuntur, ad terram retraheret; hypothetice statuit, hæc phænomena ex eâdem vi pendere, easdemque leges servare.

Calculo deinde instituto cum reperiret vim illam, quâ luna ad terram adtraheretur, multo esse minorem quam illam quâ corpus cadens ad terram feratur; hypothetice statuit vim illam talem esse, ut pro distantiâ majori minueretur in eâ ratione quâ crescunt quadrata distantiarum.

Cum autem in libris sejunctus esset et juxta communem tunc temporis opinionem gradum meridiani terrestris supponeret æqualem 60 milliariis Anglicis; hypothesim suam motui lunæ conformem non invenit, eamque non aperuit, donec post decem annorum lapsum per mensionem a Picard factam innotesceret, gradum meridiani non 60 sed 69 1/2 milliariis Anglicis æqualem esse, et repetito calculo comperisset motum lunæ hypothesi omnino conformem esse.

Duplex vir immortalis imitandum posteris reliquit exemplum

1°. Hypothesim suam non prius protulit in lucem quam eam invenisset phænomenis exacte conformem.

2°. Nihil statuit de eo, de quo phænomena nihil testantur, non enim omnia revelantur in physicis per phænomena. Experien-

tia docet quid fiat, et inde erui possunt sequelæ seu consectaria; sed quæ sit causa prima phænomenorum, e. g. gravitationis, phænomena non produnt, nec hoc in mechanicis solum sed magis adhuc in chemicis et physiologicis, in quibus non tantum causa prima latet sed et ipsa interna processuum natura, ut exemplo facile declaratur.

Si sub campanâ aëre atmosphærico plenâ et per mercurium clausâ accendatur phosphorus; post certum tempus extinguitur, pars aëris inclusi disparet sicut et pars phosphori, interim observatur sub campanâ vapor aut fumus, cujus moleculæ uniuntur in flocculos albos et acidos campanæ adhærentes, qui pondere adæquant partem phosphori et simul partem aëris quæ disparuerunt, pars aëris residua nec vitæ nec combustioni intertinendæ apta est. Ista omnia experientia edocet, de iis nos convincit; sed incipit error, si credamus flocculos albos et acidos ita reperiri, ut hi efformentur per hæc duo principia constituentia, si credamus experientiâ edoceri, flocculos ideo acidos esse, quia materia quæ phosphoro unitur, eumdem acidificet, aut hanc materiam et illam quæ intertinendæ vitæ aut flammæ inepta in campanâ remanet, utramque ita reperiri in atmosphærâ, ut hæc sit miscela, in quâ reperiuntur gaz oxigenium et gaz azotum, ut talia.

Fallimur, si credamus hæc omnia experientiâ edoceri; hæc omnia ipsis observationibus superaddimus, si hæc ita fieri concipiamus, nec certi simus conceptus nostros naturæ conformes esse; hæc enim phænomena non illo solum modo sed omnino aliis produci possunt; fieri enim potest, ut phosphorus non acidificetur per partem aëris quæ disparet, sed e con-

tra quædam corpora, ut phosphorus, sulphur, carbo, habeant proprietatem immutandi hanc aëris partem in acidum, quodque alia, e. g. potassium et sodium, ei proprietates alkalinas tribuant; et unde constat, in acidificatione materiem unam active aliam passive concurrere? Posset ad acidificationem una tantum contribuere quantum alia; posset in acido nec phosphorus reperiri nec oxigenium; possent elementa nobis ignota horum corporum novo ordine coaluisse; ut taceamus de materiis quæ possunt ad phænomena concurrere, quamvis, in sensus nostros sensibiliter non agant. Ista possent omnia cogitari, sed ut experientia non docet conceptus, qui theoriam modernam constituunt, etiam non docet alios repræsentandi modos. Quod in hoc exemplo locum habet, pariter obtinet in aliis processibus chemicis.

Ex dictis facile patet, distinguendas esse duplicis generis hypotheses. Aliæ enim talis sunt naturæ, ut observationibus et experimentis rite et diligenter institutis examinari valeant, donec earum veritas aut falsitas comperta et explorata habeatur. Hæ hypotheses veritati inveniendæ accommodatæ sunt et leges naturæ evadere possunt. Alterius generis hypotheses ita comparatæ sunt, ut nec ex principiis a priori cum necessitate absolutâ deduci possint, nec etiam ex observationibus aut experimentis. Quamvis harum veritas nullâ ratione examinari et dijudicari possit; sunt tamen in hoc genere quædam hypotheses quæ tolerari debeant: utile enim interdum est, si non scientiæ, attamen propriæ et aliorum institutioni, ea quæ sensibus natura substraxit, ad intuitivam rationem revocare; et ita haberi potest idoneus saltem repræsentationis modus, quo plura phænomena coordinantur, eorumque comprehensio non parum facilitatur.

Quinimo ita constituti sumus, ut non solum vi alicui necessario attribuamus, quæcumque sit actio quam in naturâ observamus, sed etiam vi cuicumque adjungamus substratum aliquod, cui vis illa insit : si jam inter res palpabiles et visibiles nihil inveniamus, cui vis illa essentialis sit, necessario ejusmodi subjectum effingimus. Hinc hypotheses de calorico, de fluido electrico et generatim de naturâ illorum, quæ sensibus observari nequeunt. Imaginatio, intellectu duce, effingit sibi hypothesim quantum potest conformem notionibus, quæ per effectus virium illarum obtinentur; vice versâ ex ipsâ hypothesi isti effectus observati deducuntur. Sed quid si ulterius progrediamur et ex hypothesi aliquid deducamus, quod observatione non constat? Si sequela quam deducimus talis sit, ut quamvis non nota, per observationem tamen cognosci possit, ipsa observatio decidere debet; sed si talis sit, ut observatione dijudicari nequeat, jam naturæ inquisitioni inservire nequit et ad summum in adjutorium imaginationis admitti potest. Sic ferri possunt Newtoniana et Euleriana hypotheses de naturâ luminis, si nihil aliud agas quam ut subsidium aliquod phantasiæ præbeas; sed omnino cavendum, ne similia imaginationis producta certis physices principiis adnumerentur.

Dum supponuntur materiæ imperceptibiles, et de earum figurâ et expansione loquimur; hoc pariter fit, quia necessitate cogimur, cuique ideæ, quam nobis repræsentamus, corpoream aliquam licet indeterminatam tribuere formam, quæ proinde etiam non est nisi simplex imaginationis productum, et quia nulla materia etiam insensibilis huc usque excogitari potuit, cui vis inhærens produceret ipsa attractionis phænomena; ideo quocumque numero sint, qui attractionem

ut causam gravitatis physicam prædicant, nullus tamen est qui, non dicam exponat, sed concipiat actionem corporis in distantiam, aut vires quarum ope corpora se mutuo attrahant, aut habeat physicæ attractionis ideam distinctam vel etiam confusam : attamen ipse gravitationis effectus denominatione aliquâ exprimi debuit, et hunc, non autem causam hujus physicam Newton expressit per vocem attractionis; dicit enim : « voces attractionis, impulsus vel propensionis cujuscumque in centrum, pro se mutuo usurpo, has vires non physice sed mathematice tantum considerando. Unde caveat lector, ne per hujusmodi voces cogitet, me speciem vel modum actionis, causamve aut rationem physicam alicubi definire, vel centris vires vere et physice tribuere, si forte aut centrum trahere aut vires centrorum esse dixerim (1). »

Proinde Newton non magis determinavit causam physicam vis centripetæ corporum cœlestium, quam causam physicam vis centrifugæ eorumdem ; et ideo inconcussa manebit ejus doctrina, quæcumque etiam causa gravitationis in posterum inveniatur aut supponatur.

Generatim ut hypothesis quæcumque tolerari possit, necesse est, ut sufficiat ad perfectam phænomenorum quorum causa assumitur, explicationem, ut nulli omnino contradicat legi naturæ, ut se commendet per simplicitatem et analogiam cum notis naturæ legibus, quæ omnes non minus simplices sunt quam immutabiles; nisi enim hypothesis sit facilis conceptûs et bene determinata, nequidem in adjutorium imaginationis servire potest. Unde saltem in Physicâ assentiri non possumus dynamicorum hypothesi de naturâ materiæ; præterquam enim quod non

(1) Prop. 69 Schol.

concipiatur, quomodo ex æquilibrio virium oppositarum nascatur ipsa materia, quomodo in hac hypothesi exponi potest, quid sit massa? quomodo ex quantitate intensivâ, seu gradu quo spatium repletur, producatur quantitas extensiva aut quantitas partium materialium? quomodo e simili gradu deducantur omnes proprietates massæ et præcipue nexus ejus cum gravitate? quis etiam manente eâdem massâ et eodem continue mutationem voluminis sibi repræsentet? In hypothesi autem atomorum tam determinate exponitur, quid sit massa, quam exigit mathematica ejus applicatio; et idea massæ omniumque ejusdem proprietatum tam facilis est conceptus, quam requirit conceptus qui totam Physicam percurrit.

Tandem pro coronide adnotandum : qui ad Physices studium se conferre volunt, omnes meminerint moniti Platonis : « *nemo geometriæ expers huc intrato.* » In physicâ enim præsertim Mechanicorum reperitur solummodo tantum veræ scientiæ, quantum mathesis applicatur; et naturæ vires quomodo quis rite cognoscet, nisi eas mensurare valeat? E contra nostris etiam temporibus Mathematici meminerint moniti Baconis : « *Mathematicorum non est Physicam generare aut procreare, sed terminare.* »

XII.

CAROLI EUGENII IMBERT

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM.

CAROLI EUGENII IMBERT

BRUGENSIS,

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI

STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM:

Componatur Geographia Pagorum illarum vetustæ Germaniæ regionum, quæ inter Scaldis et Mosæ flumina sitæ fuére; ita, ut appareat, qualis fuerit habitus et conditio, finito maxime sæculo post Christum natum X ad XII, ejus quidem tractus, qui nuncupatis fluminibus et Oceano Germanico continetur, et quondam ad magnum Ducatum Ripuariorum pertinuit, ductâ nimirum pro meridionali termino e regione Scaldis fluvii scaturientis in orientem lineâ.

Jubentur autem studiosi juvenes, describere horum Pagorum, ita majorum, quam minorum, fines et limites; recensere palatia, oppida, arces et villas, quæ tum fuére, insigniores; designare montium tractus, aquarumque decursus; exhibere eorum non minus ac locorum omnium vetusta et obsoleta nomina cum recentioribus et hodiernis comparata; data simul notitia antiquorum monumentorum, quæ aut hodienum conspiciuntur, aut quorum facta est apud diversos medii ævi scriptores mentio. Præsertim gratæ erunt descriptæ monumentorum inscriptiones, aut ante oculos positæ delineationes, cum animadversionibus historico-criticis circa originem, naturam et causas, quæ forte ipsorum condendorum ansam fecerint......

quæ præmio ornata est, hoc inscripta lemmate :

ΟΙΚΟΘΕΝ ΜΑΤΕΥΕ.

Pindarus, Nem. III. 53.

ORDINIS PHILOSOPHIÆ ET LITERARUM HUMANIORUM PROFESSORIBUS AMPLISSIMIS, ÆSTUMATISSIMIS, S.

Rem sane arduam vos, viri æstimatissimi, multoque labore tædioque, fateor, plenissimam, involutam nimirum antiquitatis caliginibus proposuistis, *Geographiam terrarum nostrarum sæculi X ad XII* postulantes; non ut viri harum rerum periti, sed *juvenes* in ea eruenda facerent periculum. Ne audax nimis ego in tanto negotio suscipiendo illis habear, qui non nisi difficultates rerum inspiciunt, quibus juvenes deterreantur a tanto opere, fatendum est mihi quidem, vos omnino, et te præsertim, vir humanissime, qui eam locorum descriptionem a nobis expostulasti, non plane nos quasi in immensum mare projectos, sine duce felicique astro, deseruisse, sed illâ vestrâ humanitate et benevolentiâ sive in fontibus, unde hauriendum erat, indicandis, sive in consilio dando nos omni modo adjuvisse, ita ut, quod citra vestram magistrorum opem nobis nullo modo perficiendum erat, nunc nostrâ adsi-

duitate et proprio velut Marte peragendum, laudesque, quibus ornare vestros discipulos assoletis, promerendæ rite essent. Quæ ubi perspecta haberem, ego me, non sine verecundia illa, ad solvendam quæstionem accingebam. Rem ad finem usque persudavi, atque nunc e vestro illo justoque arbitrio suspensum derelinquo, utrum coronâ me, ab augustissimo rege, bene merentibus, singulari illâ clementiâ, quâ laudatissima quæque toti civitati præcipitavit instituta, in vestras manus depositâ, possitis habere dignum, nec ne. Etiamsi minus dignos meos hosce conatus habueritis, qui præmio ornarentur, tamen non parum me titillabit illa cogitatio, me omnem collocasse diligentiam in conficiendo opere, a vobis proposito, meque in primis fuisse discipulorum vestrorum, qui id periculum subire auserint. Atque hâc mente vobis hoc offero descriptarum rerum *argumentum*, ex quo primo statim oculorum obtutu vobis erit judicandum, quid sit in opere pretii.

ARGUMENTUM.

PROOEMIUM.

De pagi notione, significatione, extensione. Subjicitur observatio, quam in locis, variis simul pagis adscriptis, uni alterive tribuendis, secuti sumus.

INTRODUCTIO.

Agitur in CAP. I de Situ geographico; describuntur Limites ac Fines totius regionis, quæ in pagos suos dividitur, atque ex habitu toto ac indole æstimatur.

CAP. II de *Aquis* tractat, et quidem primum de *Oceano Germanico*, limite terræ nostræ occidentali: deinde *Fluvii* describuntur, ac *Fossa Ottoniana* paucioribus subjungitur.

CAP. III *Silvas* notat, in

CAP. IV de triplici naturæ regno verba fiunt;

CAP. V Incolarum copiam, qualis diverso tempore esse visa est, exhibet.

PAGORUM IPSORUM DESCRIPTIO.

CAP. I *Pagum Wasdæ* exhibet, descriptoque vario nomine et ductis finibus limitibusque eum juxta partes suas ordinat, ubi sermo est de subpagis *Marso, Scaldensi, Walacria, Bevelandia.*

CAP. II *Ottingiam* pagum juxta fines et limites ejus recenset; quæ cuncta vel in

CAP. III in *Pago Taxandriæ* fiunt; quem divisimus in *Stryensem, Ryensem ac Taxandriam propriam*, pagellos.

CAP. IV *Pagus Masgoviæ* obvius est, cujus non nisi cismosana pars nobis erat describenda.

CAP. V *Pagus Brachbatensis:* nomina, fines, loca recensentur.

CAP. VI *Hasbanniæ pagus* dividitur, describitur.

CAP. VII *Pagus Leodiensis :* nomen varium, fines, locorum (cismosanorum) descriptio.

CAP. VIII *Hannagaviæ pagus* simul cum pagellis suis in medium profertur, qui sunt: *Hannagavia propria, Fanomartensis, Cameracensis, Fannia, Sambrensis.*

CAP. IX *Pagus Lomacensis* major, cujus subpagi : *Darnoënsis* et *Lomacensis proprius.*

Additus est, ad usus facilitatem, INDEX LOCORUM, quorum et antiqua et recentiora nomina adscripta sunt : atque MAPPA PAGORUM NOSTRORUM GEOGRAPHICA, in lapide exarata.

PROOEMIUM.

§ I.

Nostrum non est, altius descendere in notionem ac etymon *pagi* vocis, utpote quod ab Ordine non est postulatum; attamen iis qui harum rerum parum periti eas non plane intelligere possunt; et quoniam non multi sunt qui veram pagi significationem eandem esse, ac nosmetipsi credunt; ut denique unicuique notum faciamus, quamnam voci et originem et notionem et extensionem tribuerimus; satius est, laudare opus humanissimi et dilectissimi magistri mei (1), qui eam rem extra omnem dubitationis aleam posuit, et *quæ ejus placita unaquæque vel nostra pagina magis magisque comprobat.* Quod cum ita sit, quæ uberius ibi tractata prostant, ea paucioribus modo verbis, velut excerpta, nostro qualicumque opusculo præmittere placet, *additis, quas ipsi habuimus, nonnullis observationibus.*

§ II.

Posteaquam itaque Vir cl. diversas aliorum scriptorum sententias, a Græcis Latinisque ductas attulerat, easque ineptas refutarat, demonstravit, simplicissimam rei vere Germanicæ originem in ipso sermone Germanico vetusto esse quærendam atque vocem *Gau* esse eam, quam Latine scribentes vocabulo *Pagi* expresserunt.

Hanc vocem ortam ait e vocabulo *Au* (s. awe, aoë, auue) et præfixa syllaba *ge* (sive pro re nata be, le) quæ vim habet

(1) Francisci Jos. Dumbeckii : *Geographia pagorum vetustæ Germaniæ aliquot Cisrhenanorum, in Univ. Heidelbergensi præmio ornata. Berolini,* 1818. 8.

concludendi, definiendi, circumscribendi. Au significare terram quamcumque, nullis limitibus circumdatam; quod ipsum indefinitum limitetur syllaba illa *ge;* ita ut *ge-au,* contracte *gau* (g'hau etc.), terram quamlibet sive finibus naturalibus, fluviis, montibusve, sive etiam politicis limitibus terminatam exprimat.

§ III.

Qua nunc sententia exemplis luculentis aliarum rerum explicata, docet, omnes fere pagos terminari syllabâ *au,* sive *gau,* sive sola littera *a,* quæ idem exprimat; quam terminationem, qui voluerit, in nostris quoque singulis ferme pagis deprehendet.

§ IV.

Pro voce *Gau,* seu *Au*, sive *A* nonnunquam aliam, quæ significationem eandem habeat, esse usurpatam, ut *feld* (campum), *wald* (silvam s. forestum) et *bannum,* ut nos addimus (quæ vox in Brachbatensi nostro idem ac *pagus* s. *gau* audit); ita ut *gau, feld, walt, forestum, bannus* idem sonet, *pagum* nimirum.

V.

Hisce vocibus *gau* s. *pagus* ex rebus variis addita esse cognomenta, quibus inter se distinguerentur politice: nempe sive a *fluviis* desumta (ut nostro *Hana-Gaviæ*); sive a *silvis* (ut pago *Fanniæ*); seu a *soli natura* (ut *Pabulensi*, a pascuis ad Scarponæ sinistram ripam sitis, atque *Wasdæ* nostræ, quam vide); sive a *castello* (ut *Fanomartensi* nostro); sive *majoribus civitatibus* s. *Burgis* (ut *Trevirensi, Aquensi, Leodiensi*, *Curtracensi*); sive a *viris claris*, s. *Ducibus* (ut *Wettink-au*, pago *Wittichindi*) aliisque.

§ VI.

Hinc concludit (quod a nemine ante virum clarum factum video, et quod maxime prægnans est) *extensionem pagorum seu majorem, seu exiguam, nihil sive tribuere, sive adimere significationi ipsimet;* indeque sæpissime apud scriptores veteres et *vicum* et *oppidum* et *civitatem* et *provinciam* et *pagum* fuisse synonima. Atque hinc iterum rationem invenit *pagorum in majores* et *minores, sive subpagos, pagellosve dividendorum;* sine quo discrimine in describendis pagis vacillans semper erit et incerta ratio. Subdivisio hæc ipsa a re *feudali* s. *beneficiaria* originem duxit (2).

§ VII.

Ex hâc pagorum subdivisione ratio describendorum eorum maxime turbata oriebatur, et quæ me diu nimis suspensum tenebat, ne dicam, ab opere perficiendo plus unâ vice deterrebat : donec doctissimum illud præceptum in ejusdem professoris mei laudato opere inveni, sine quo (ante ipsum enim nemo eam rem recte exposuerat) Geographia pagorum rite scribi nulla potest. Hanc ob causam totum exscribere hoc loco mihi licitum sit (3). « *Non nunquam,* ait, *villæ eædem pagis variis adscribuntur; unde maxima inquisitori fit rerum perturbatio, quam explicandi tria invenimus media:* »

« *Error etenim oriri potuit, vel quod plures ejusdem nominis villæ in pagis diversis recensitæ fuerint : tum vero accurate semper distinguebamus :* »

(2) Vide circa hasce res l. l. p. 1—12 coll. 84.

(3) Vid. Notamen in opere laud. p. 104.

2.

« *Sive quod in finibus posita, eadem villa, variis adnumerari potuerit pagis; tum ex codicum chartarumque numero majori, scriptorum ex nostro (quod tractamus) tempore, rem componebamus.* »

« *Sive quod in pagello quodam, ad pagum majorem pertinente, utrique adscripta fuerit; tum hac inventa ratione litem decidebamus : ut quæcumque loca, si ceterum situs nil impedierit,* PAGELLO *æque ac* PAGO *in diplomatibus unius ejusdemque ætatis adscripta, minori semper tribueremus; cum, quod pro certo comperimus, pro parte totum non nunquam sibi sumpserunt scriptores.* » Quibus nunc regulis certiores, in opus ipsum progredi volumus.

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

SITUS ET HABITUS TERRAE.

§ I.

Orbis, quem describimus, totus fere jacet inter longitudinis gradum 21 ac 24 Ferri; latitudinis vero, ubi latissimus est, 21°,1′—23°,9′; ubi minus latus est, inter 20°,9′ et 22°,4′; atque præstantiores nonnullos Austrasiæ s. Ripuariorum Ducatûs pagos continet. Totius autem tractus nostri fines ac limites quæstio ipsa ponit hos : Oceanum Germanicum ac Scaldim fl. versus occasum; Mosam ab ortu et boreâ, lineamque rectam e scaturiente Scaldi fl. (ab occidente ad orientem ductam) a meridie.

§ II.

Conspectus orbis in pagos divisi.

Constat autem variis hic orbis partibus, sive majoribus, seu etiam minoribus, quas *pagos* antiqui, nos vero *provincias*, *circulos*, nominamus, et qui universæ geographiæ nostræ hanc, a borea ad meridiem tracti, faciem præbent. Primus enim est :

WASDA, pagus major, qui continet minores:
MARSUM,
SCALDENSEM,
WALACRIAM,
BEVELANDIAM: Alter
OTTINGIA, pagus major, cum subpagis
WASIA, Wasdæ pagi parte, et
GANDENSI, parte pagi Brachbatensis. Tertius
TAXANDRIA, pagus major, qui includit minores
STRYENSEM,
RYENSEM ac
TAXANDRIAM PROPRIAM. Quartus
MASGOVIA, pagus major, divisus in
SUPERIOREM, qui extra orbem nostrum jacet, et
INFERIOREM, quem nos descripsimus. Quintus
BRACHBATENSIS, pagus major, cujus *pagelli* s. comitatus sunt
LOVANIENSIS,
BRACHBATENSIS in boream,
BRACHBATENSIS in meridiem situs, et
EINHAMENSIS: qui enim ante huc pertinuit,
GANDAVENSIS, eum sub *Ottingiâ* quære. Sextus
HASBANNIA, pagus major, cum pagellis
MANSUARIORUM,
HASPINGA,
DIESTHEMIENSI et
NASTENACO. Septimus
LEODIENSIS, pagus major, cujus huc pertinet *cismosana* pars:
HAINAGAVIA, pagorum majorum octavus, minores habet
HANAGAVIAM PROPRIAM,
SAMBRENSEM,
FANOMARTENSEM,
CAMERACENSEM ac
FANNIAM. Ultimus denique
LOMACENSIS est, qui subpagos complectitur
DARNOENSEM,
LOMACENSEM proprium,
MAGINISUM et
NAMURCENSEM.

§ III.

Natura diversorum pagorum varia est, quoad nimirum terras complectantur, plus minusve mari majoribusque fluviis adjacentes. Attamen duplex in omnibus omnino partibus indoles observanda venit. Plurimam enim partem tractus noster in latam patet planitiem, quæ sterilis partim et arenæ aggeribus frequentibus sicca, partim demissa atque paludibus fœtida extitit, ac ideo fundus olim maris fuisse a plerisque creditur. Altera pars elatior fuit meliorisque conditionis, collibus montibusque leniter adscendentibus lætior; ita ut nonnulli eam Oceani velut antiqua littora habeant. Hinc ea pars tum convallibus est conspicua, tum etiam rivulorum undis æque ac silvarum frondibus decorata, quæ mirabilem quandam naturæ genitricis exuberantiam offert. Hæc in genere de omnibus valent. De singulis si quæris, hanc diversorum pagorum indolem tibi suppeditaverim.

§ IV.

Inter *boreales*, primas sibi *Wasdæ* pagus vindicat, cujus quidem tractus, oceano undique circumdati, utrum jam Cæsaris temporibus ad continentem terram pertinuerint, an undis adoperti jacuerint, non discernam. Attamen altiores ejus partes serius tantum recepisse Taxandros, qui longo temporum intervallo se receperunt ad Orientem, relictâ illa immani ac periculosa sede, *Plinii* (1) verbis sic satis credibile fit : regio enim hæc tunc demum, quum aggeribus maris æstubus resistentibus, quasi munimentis sustentaretur, habitari potuit. Hæ quidem elementorum pugnæ sæculo

(1) H. N. L. IV. c. 16, cum quo cfr. Cluverius de tribus Rhenialveis disserens p. 10.

nostro X jam erant compositæ, ita tamen ut illo atque subsequentibus sæculis solum cœlo asperiori humidius, paludibus fœtidum, pascuis magis, quam cerealibus seminibus esset aptum, unde *Wasdæ* seu *paludosæ terræ* nomen est consecutum.

Eandem faciem eo tempore vel *Ottingiæ* pagum (ab Ottone Imp. ex parte Wasdæ et pago Gandensi compositum), præsertim in *septentrionalibus* regionibus ostendisse, urbibus autem et villis pene orbum extitisse, iisdem, quas adduximus, causis atque e vita quoque D. Allowini constat (1).

Taxandria (quæ et Campania dicebatur) nulla descriptione certius, quam *nominis etymo* pingi potest; nam *Taxandriæ* s. *Tassandriæ* vox a *Tas* et *Sand* ducenda est, atque *arenarum cumulum* indicat. De *Campania*, a campis, seu apertis agris dicta, audi Stephelinum monachum (qui ipso undecimo sæculo vixit) in libello, de miraculis D. Trudonis scripto, ita disserentem (2):

« In supra dicto pago (Taxandriæ) *campania est late patentibus campis*, solis ardore exusta et nullis humani negotii usibus apta, sed solummodo latronum scrobibus plena, de quibus et longe perspicaci intuitu, eorum nullis divinæ creationis obstantibus machinis facillime possunt deprehendi itinerantes. » Hæc autem Campania, excepto *Ryensi* pagello, *Brachbatensis* pagi indolem paullulum referente, per integram Taxandriam porrigebatur: pagus itaque habitationibus et cultui parum aptus, licet extensus, desertus fere jacebat.

(1) In Act. SS. Belg. II, p. 507.

(2) Ibidem tom. V, p. 56.

Exiguam *Masgoviæ* regionem verbulo depingam. In divisione regni Lotharii, apud Marsanum a. 870 actâ (1), Carolo Calvo adscribebatur, in *superiorem* et *subteriorem* s. *inferiorem* divisa. Jacet illa in *orientali* Mosæ ripâ, hæc in *occidentali;* unde hæc sola nobis describenda est. Tractus hi nec extensi erant, nec quoad indolem majoris momenti; demissi plane ac palludosi, sicut fuêre, hodienum de *peel,* quod idem est ac *poel* (palus), nominantur : inde villarum nulla frequentia adeo, ut occidentem versus plane desint.

Quibus (si deo placet) rite allatis, altius jam adscendamus, ubi orbis nostri pars sequitur, longe pulcrior. De pago *Brachbatensi* primum loqui fas est. Hæc enim regio, longe lateque exstensa, pagorum omnium nostrorum naturæ fertilitate præstantissimum ac feracissimum obfert. Ad *meridiem* silvis consita, præsertim *Carbonariâ* illa ornabatur, ad *occidentem* vero cunctis frugum fructuumque generibus, præsertim ubi valles illæ amœnæ inter lenissimos colles includuntur, omnes fere Europæ terras exsuperat, atque hâc ipsa re in proverbium abiit.

§ V.

Hæc hodie (dixeris) sic se habent; sane, atque etiam antiquitus, ego infero : cujus rei nullus testis verior est et potest esse, quam copia incolarum et urbium, villarumque frequentia, quâ ceteros omnes antecellit. Si vero scriptoris testimonio opus est, hæc de eo in vita D. Livini (ex Ottonia venientis) a discipulo ejus conscripta lege : « *In terram Brachantisiam (sc. venit), quo ingrediente venerando pontifice salutiferis gressibus, admirabatur amœnissimam terram, spa-*

(1) Vid. Annales Bretinianos ad an. 870.

tiosam et nimis delectabilem et benignitate Dei exuberantem, lacte et melle et diversarum frugum arborumque abundantia affluentem (1). »

Hasbanniensis pagus, Brachbatensi in *orientem* situs, huic simillimus esse videbitur : sed innumeris quamvis irriguus sit rivulis, tamen solum ejus minus ferax deprehendimus. Regio ceterum spectabilis, urbium vix, sed villarum numero prospera, aspectu jucundissima, silvulisque referta, venationibus aptis.

Hanagavia huic *occidentem* versus sita est, regio aperta, cœlo sereno ac fluviolis gavisa, fertilis non minus. Hinc frequens quoque incolarum copia. Ad *orientem* vero, ubi obtegebatur densissima illa *carbonaria* silvâ, deserta ferme mansit, ac regalibus nonnullis palatiis, venationi accommodatis, monachorumque quibusdam cœnobiis inservivit.

Eandem sortem passa est vel *Lomacensis* pagus, qui silvosus integer, oppidulorum, villarumque numero caruit ac solis monachorum cœnobiis cessit : attamen quod hâc ex parte natura negavit, hoc e regno minerali ipsi reddidit; de quâ re inferius egimus.

(1) Vita S. Livini in Act. SS. Belg. Tom. III, p. 106.

CAP. II.

DE AQUIS.

§ VI.

De Oceano Germanico limite occidentali.

Orbem nostrum, si quis ejus naturam respiciat, bifariam distingui posse, diximus: *Boreales* nimirum tractus Oceanum varias ab causas redolent, quas inter præcipua est *soli indoles:* istæ enim regiones fere omnes planæ sunt, sine ulla pene æquabilitatis mutatione, sine monte, sine colle; ut terra cum æquore, littora cum fluctibus æquâ lance teneantur; nisi si quæ vada e mari paullulum surgant, syrtes, sive quæ dicunt, scamna arenacea (quorum plura conspiciuntur e. gr. in *Brachbatensi* pago occidentali, ubi littori Saxonico propior existit) Gallice *bancs flamands* dicta. Hinc diversa regionum maritimarum facies, in omnibus sibi satis similis existit. Sive enim peramplos eæ ac nudos obferunt tractus arenosos, sive alios hinc inde, mox ericibus adopertos, ut Taxandria; mox fertiliori terra magis minusve obtectos, quam ubique naturam exhibet *Wasia* terra; sive palustria demissaque adeo loca ostendit, ut ne unquam adhuc exsiccari possent, uti *Masgoviæ* pagus noster.

Hæc hodienum illorum facies; quæ non solum eadem esse sæculo X debuit; sed longe etiam rudior, incultior; si hæc consideranda nobis insuper venerint. Nimirum inventas esse complures in illis tractibus maris reliquias, conchas, coralia, cætera; immo et anchoras et quæ aliæ res navigationi inserviunt(1);

(1) Verstegen Antiqq., p. 110, 115.

unde varia eaque pretiosa antiquitatis rudera in museis harum rerum curiosorum asservantur. Ex his autem patet, terras *boreales* omnes quondam maris fluctibus coopertas fuisse; quæ quidem luce clariora tibi videbuntur, simulac vetusta maris littora in continenti, quæ hodie est, terra, digito monstraverim. Ducitur enim ab inde *Aldenardæ* (cujus loci vel *etymon* hoc loco non prætereundum) oppido, ad Affligheminm in vicinitate Alosti, atque inde ad *Merchten, Grimbergam*, *Laken* et *Vilvordiam collium catena, quæ accurate hasce demissas boreales ter ras a meridionalibus separat;* exinde iterum *ad altitudines Bruxellenses pergit, unde*, ex orientali parte orsa, denuo a Vilvordia per Cortembergam petit Lovanium : ubi elevata hujus oppidi propugnacula collium catenam maximâ ex parte continuant. Nunc vero hi colles versus boream protracti Arschotum pergunt, usque ad Sichem, Diestham, Leuwe, Borch-Loen et Tongrense oppidum (1), a quo Trajecto Mosæ se jungit. Collium istorum natura maris littoribus proxime accedit. Sunt etenim proclivi omnes subitoque sursum adscendunt, qui arenarum mole cujusque generis compositi, maris vestigia ostendunt. Hanc rerum naturam suppeditant et saltus ille Bruxellensis (le parc), et vicinitates Tungrenses, etiam Mons D. Petri ad Mosam situs, qui tractus ad meridionale catenæ latus sati, altiores, collibusque vallibusque consiti, silvosi, fertilioresque sunt atque (ut ita dicam) continentem terram antiquam constituunt.

§ VII.

Hæc quidem argumenta, ut videmus, vim et veritatem habent, quæ augetur, si hæc insuper apud te cogitaveris : illam

(1) Cfr. quæ infra apud Attuaticorum metropolin verbulo solum addebamus.

catenam (quæ jam in duas sibi diversas partes, *borealem* i. e. *paludosam* et *meridionalem* i. e. *siccam*, orbem nostrum dissecat) vel a Mosâ continuatam, reapse post longos et anfractuosos tractus denique versus boream adscendere et mare attingere, ita ut quæ antiquitus mare fuêre, hæc illa catenâ, quasi zonâ contineantur; atque quâ parte mare respiciunt, vel paludosam ubivis naturam ostendant; dum ea, quæ citra catenam i. e. in *meridiem* jacent, continuo continentem referant antiquum. Cum hac denique sententia congrua est ipsamet vulgi traditio, quæ hanc catenam Maris olim littus fuisse asserit. Quibus argumentis innixus, verum expiscatus est Academiæ Bruxellensis socius doctissimus (1), qui nullus dubitavit, quin ab antiquissimo tempore non solum terram catena nostra inclusam, sed etiam Flandriam maritimam, Hollandiam, Gelriæ, item Frisiæ utriusque, Westphaliæ, Ducatûs Bremensis, Verdensis, Lunæburgensis, Lauenburgensis, Holstenii, Meclenburgensis, ac Pomeraniæ partem usque ad Woldovienses montes, mari fuisse submersam asserreret.

§ VIII.

Fluvii.

A, Aa, Aade (qui nomen priscum retenuit) rivulus Masaviæ pagi, ortus ex ejusdem paludibus, unde cursum in boream properans, Taxandriam influit, Duthmolæ simul et Digenæ fl. ad ostia mixtus, prope Empelam vicinam in Mosam influit. Ab eo probe distinguendus alius ejusdem nominis rivus, e Stryensis pagi collibus manans, atque variis sine nomine fluviolis in sinum exceptis, hujus pagi paludes per-

(1) L'abbé Mann in: Mém. de l'Acad. de Bruxelles, T. I, p. 59. Cfr. *Malinas* opp. et quæ ibi de nominis etymo disseruimus.

means, nunc in multas septentriones effusus, iterumque auctus, nomen *Marcæ* (post hodiernam Bredæ urbem, quæ forte ab eo nomen, *breede Aa,* sortita est) obtinet, atque prope Stenobergam ac Mosæ ostia in hanc irruit.

DIGENA (h. Diese s. Deeze), quem rivum Guicciardinus male eumdem cum Duthmola esse putat (1); ortum ducit e Taxandriæ propriæ parte meridionali, simulque cum Duthmolâ, cum quâ apud Busloth jungitur, in Mosam descendit.

Dilia, Dyla, Thile (h. Dyle) Brachbatensis fluvius e variis Lomacensis pagi rivulis ortus, plures pagos alluit, Lovanium, Machliniasque perlabens, cursu primum versus ortum et boream directo, mox in occasum retracto, Nithæ fl. suas miscet undas.

Dunga (h. Donge) fluviolus est, qui directo in boream cursu apud Montem-littoris Mosæ miscetur.

Duthmola (h. Dommel) e paludosis Taxandriæ regionibus orta, Digenam apud Busloth et *Aa* fl. apud Ortinum excipit, ac in Mosam volvit undas.

Hana, Hagna, Haina (h. la Haine) fluviolus, qui Hainoënsi pago nomen dedit, in quo etiam totum iter suum conficit, per Waldriacum et Montes Hannoniæ perfluit, donec prope Condatum Scaldi jungitur.

Helpra (h. Helpre) cujus nominis duo Fanniæ pagi fluvioli exstant, alius Helpra *major* dictus, qui versus boream cum Helpra *minore* parallelo cursu ab ortu in occasum, per nemora Fanniæ acto, in Sambram exit.

(1) Description de la Belg., p. 19, ed. Amstel. 1625.

Jecora, *Jekora* (h. Jecker s. Jaar) Hasbanniæ rivulus, a meridie ad boream per Tungros juxta Trajectum ad Mosam, in hoc flumen properat.

Mehania (h. la Mehaine) fluviolus Darnoënsis pagi, a meridie in boream et mox in ortum tractus, ubi hunc ab Hasbanniâ separat, atque a Mosa excipitur; piscium abundantia celebratus (1).

Mosa, *Maas*, *Moos*, *Maaze* (la Meuse, de Maase) maximum totius regionis flumen, navigationi aptissimum, quod his versibus laudat Fortunatus presbyter ad Gogonem scribens (2).

Aut Mosa dulce sonans, quo grus, ganza, anser, olorque est,
Triplici merce ferax, alite, pisce, rate.

Commerciis celebre ac pagorum omnium nostrorum occidentalis limes est.

Oritur ex monte Vosego, ut divus tradit Julius (3), Lingonum tunc temporis ex finibus, non longe a fontibus duorum nobilium fluminum, Araris et Matronæ (4), ac in boream defluens, jam navigabile ab inde D. Theodebaldi oppido, Campania relicta, pagum nostrum Lomacensem primo lambit: tum, undis Sambrinis magnopere adauctum, in orientalem boream per Hasbanniam exit, pagum Masaviæ prætergreditur atque in occidentem ad Vahalis (seu Rheni partis) conjunctionem procedit, quo fluvio recepto summa vi se præ-

(1) P. J. Heylen, Comment. de præcipuis Belg. fluviis, p. 58.

(2) Lib. VIII, v. 11 sqq. apud Boucquetium II. 512.

(3) De B. Gall. IV, c. 10.

(4) Guichardin, descrip. de la Belg., p. 15.

cipitans, immenso illo ore, a *Tacito* (1) ipsi tributo, in mare evolvitur.

Cursum vero hodiernum ab antiquo maxime differre facile cernitur. Hodie enim multum in boream versus exit, hoc quidem a sæculo XV cum maxime. Notatu dignum est, Mosæ in Oceanum exoneratæ fluctus ab undis maris per longum satis spatium posse distingui.

Nitha, Netha (h. Nethe) ut Helpra duplex fluvius, in *majorem* et *minorem* divisus e præcipuis Taxandriæ amnibus coortus, in Ryensem pagum versus occidentem descendit, Dyliæque mixtus, *Rupelæ* nomine, a Scaldi absorbetur. Antiquitus major minorque Nitha ante defluxum non (ut hodie fit) coibant, sed separatus uterque decurrebat (2).

Sambra, Sambera, Samber, Savo, Sabis (h. la Sambre) antiquitus celeber amnis, ad cujus littora Cæsar prælia cum Nerviis commisit. Classi Sambricæ præfectus in notitia dignitatum imperii assignatur (3). Decurrit e Fanniæ finibus, variis gyris ac anfractibus per Hanagaviam Lomacensemque pagum circumerrans, donec prope Namurcum Mosæ miscetur.

Scaldis, Scaldea, Sincfala, Scaldus, Scald, Tabuda, Scilda, Scinda (h. Scald s. Escaut; ab accolis passim *Scold, Sceld, Scond* nominatum (4), flumen, quod alterum sibi post Mo-

(1) In Annal. II. c. 8.

(2) Heylen, l. c., p. 75.

(3) Graev. AA. RR. L. VII.

(4) Alting Menso Notit. Germ. inf., P. II, p. 116.

sam locum vindicat, occidentalem nostrorum pagorum limitem conficit, anfractuosum et errabundum maxime cursum trahens, Romanorum temporibus terminus Menapios inter et Nervios fuit.

E Veromanduorum finibus lento gradu procedens (unde *Scalde* nomen sortiebatur), ab inde Valentiano oppido navigabile est : nunc Brachbatensem pagum, quem a Menapisco segregat, præterlabens, postquam Ottingiam a Taxandriâ separavit, variis ramis Wasiæ efficit insulas, ac peracto nunc cursu suo in oceanum exoneratur. Primarius fluvii alveus erat occidentalis (*den Hond* dictus), qui aquarum irrumpentium impetu a. 1327 ac 1421 dissolutus, primas alteri cessit, ac in lacum, altitudinis sat mediocris, ipse abiit.

Sella (h. Selle), rivulus, e pagello Cameracensi ortus, Fanomartensem et Hanagaviam propriam perlabitur, ac versus boream et occasum in Scaldim exit.

Senna, Bronia, Somma (h. la Senne), e meridionali parte Brachbatensis pagi ortum ducens, medium pagum perfluit, ac boream versus per Bruxellas et Vilvordiam in Dyliam descendit.

Tamera (h. Demer), non procul a Tungrensi oppido oritur, sed e meridie boream versus per Diostham ac Arschotum fluens, Dyliæ miscetur. Constat e plurimis ramis, qui omnes Hasbanniam suis undis fœcundant, *Cisindria, Felepa, Geldiu* dicti, cum quibus alii ignobiliores eamdem Tameram augent.

Tenera (h. Dender), in Brachbatensis pagi finibus ac Antonii oppidi vicinio ortus, fluvius, qui per Gerardi-Montem, Ninovam, Alostum, Bruxellas gressus dirigit, inter prima-

rios hujus pagi amnes recensendus, quem integrum a meridie ad boream perfluit, medium semper Scaldim inter et Sennam tenens, quos suo cursu comitatur.

§ IX.

Superest ut de *Fossa Ottoniana illa* loquamur, in quâ describenda nulli congruunt scriptores. Audiamus autem rei historiam: Otto I imp., sedata Lotharingiâ, fractisque optimatum viribus, internæ paci studens, suos contra externos hostes tueri conatus est. Id autem temporis Scaldis limitem inter Lotharingiam et Galliam juxta regionis divisionem a. 643 factam, constituebat. Otto Imp. Castellum Gandavense, in Scaldi situm, terminum inter suas et Galliæ terras, suæ ditionis esse contendit; quod ideo sibi arrogavit, aliudque munitissimum, *novum* appellatum, a. 942 ædificavit, ut eo fortius res suas defenderet. Insuper autem vel *Fossam* hanc excavavit, a se dictam, quâ denuo magnum terrarum tractum, quem *Ottingiam* pagum nuncupavit, in suam ditionem rapuit (1). Ante Ottonis ætatem omnes fere (hanc enim sententiam vel docti recentiores viri sequebantur) insulas Bevelandiæ et Walacriæ continenti addixerunt (2); quas ipse Otto, effossâ canali, a continenti terra ademisset: quam canalim in Scaldis ostiis occidentalibus (den Hont nominatis) quærebant, ita ut *Boxhornius* (3) continuo novum hujus rei argumentum ex vocis sono (den Hont) duceret. *Zond*

(1) Oudegherst in chron. c. 24. — Chronic. S. Bavonis ad an. 941.— Butkens, Trophées du Brabant I. 11. — Dewez, Histoire génér. de la Belg., tom. II, p. 107.

(2) Vid. De Roches, v. cl. Opp. Acad. anno 1771 edita, p. 58.

(3) Chron. Zeelandense, P. I, p. 65.

enim, ait, nostratium esse *fretum; Hond* vero compositum esse ex *Otto 's Zond;* atque significare *fretum Ottonis;* inde corrupte fuisse pronunciatum *Hot-Zond* ac contracte *Hond*.

Heussenius quoque ille (1) sententiam ut probaret, omnem lapidem movebat. Sed ut in conclamata hac re non diutius inhæreamus, satis est laudare jurium reipublicæ Zeelandiæ deductionem, qua hæc respublica tractum, *de Hoofplaat* dictum, sibi vindicat (2), et quâ simul omnium illorum sententia exploditur. Insuper juris vindicatione probatur, vel mappam geographicam *Boxhornii,* quam novum argumentum esse cupit, falsam esse, falsamque non minus esse sententiam ejusdem viri clari, qua probatum iit, hoc occidentale Scaldis ostium (den Hont dictum) non nisi exigui maxime illius fluvioli latitudinem ante a. 1377 habuisse; nam eodem illius deductionis monumento extra dubium omne ponitur, nostrum, de quo loquimur, primarium fuisse jam a. 1274 ostium: fossam vero Ottonianam fuisse ductam ab inde Castello Gandensi per vicos hodiernos *Ronhuyzen*, Zuytdorp et Axelam nostrum vicum (qui, hodie velut insula, eo tempore, ut ceteri vici, plane in continente fuit situs), atque cum prædicto Scaldis ostio suas miscuisse undas.

Addamus aliam rationem, quæ, citra illud a nobis laudatum documentum Zeelandense, rem probare sola videtur. Gandavensis nempe pagellus ante Ottonem subpagus Brachbatensis nostri; hic autem pars erat Imperii Lotharingici: Imperium ipsum limitem occiduum habuit Scaldim flumen,

(1) Oudheeden van Zeeland, T. I, Inleyding, § 2.

(2) Apud De Roches l. c.—Prodiit illa juris vindicatio a 1727.

ex quo inde loco ad usque Gandavensem pagum sine limite naturali fuit. Otto denique *Ottingiam* pagum suum e Wasdâ propria et Gandavensi illo pagello composuit, atque nunc, ut nobis videtur, ut haberet totius Imperii limitem *certum* a Gandâ ad Scaldis ostium, per illam canalim flumen illud veluti continuavit.

Hoc fecit eodem anno, quo *novum Castellum* eamdem ob causam exstruxit. Hæc autem nostra opinio, causaque exposita certior videtur esse eâ, quam *Marchantius* prodidit (1), qui canalem commerciorum causâ excavatam ita judicat, ut alveum Scaldis (de Hont dictum) profundiorem redderet. *Bastius* autem in opere sæpe laudato (2) totam fossam Ottonianam nihil aliud fuisse credit, nisi fossam circa *Castellum novum*, *munimenti* causa, ductam. Ideoque saniorem nos *Des Rochii* illius sententiam, chartâ Zeelandensi illâ extra dubitationis aleam positam, ambabus amplexi sumus.

CAP. III.

DE SILVIS.

§ X.

Arduenna, *Ardenna*, *Arduensis silva* (h. les Ardennes), silvarum longissimus tractus: si quidem antiquæ ætatis magnitudinem respexeris, atque non ea modo spatia, quæ nos describimus: ad nos enim non nisi ex parte attinet. Cæsaris ævo totius Galliæ silva erat maxima (3); extendebatur enim

(1) Loco citat. l. I, p. 138.

(2) Recueil d'antiquités rom. ou gauloises, p. 35.

(3) Vid. Cæs., Comm. de B. G. VI, c. 29. — Orosii, lib. VI, c. 10.

a Rheni ripis, finibusque Trevirorum ad Nervios usque (1), qui fuere Hanagaviæ nostræ primi incolæ. Totum igitur pagum nostrum *Lomacensem* complectebatur, quæ ejus extensio per medium ævum fuit, ut ex locorum penuriâ, monasteriorumque frequentia satis clare concludendum. Quam vero ad Melbodium protensam J. Cæsaris tempore *Wastelinus* depingit (2), ea ejusdem exstensionis XI sæc. nostro non credenda est. Illi enim tractus, quos ipsi *Wastelinus* adjecit, silvam *Carbonariam* effecêre. Ceterum eam *Cluverius* et *Cellarius*, antiquitatis perscrutatores clarissimi, reliquas suo nomine omnes complexam rite (sic enim esse assolebat) existimant : de qua sic *Strabo* (3) : ὕλη γάρ, ait, ἐςι οὐκ ὑψηλῶν δενδρῶν. (4)

Carbonnaria, *Charbonnaria, Charbonneira, Charbecheira* (la Forêt-Charbonnière) saltus, qui extenditur a partibus Hannoniæ extremis ad usque Lovanium, Diestham fluviumque Tameram; atque idcirco illis constat tractibus, qui nunc *Mormalia* (h. Mormault), *Cerasia* (Cireau), *Soniaga* (Soigne), *Levaca* (Leu) et qui collectivo nomine *Hagelandiæ* veniunt (5). Etymon nominis Latinum est, sed ævi recentioris : ducitur autem vocabulum a *Carbo*, quoniam silva ad Carbones de lignis coquendos inserviit (6).

Wasdæ Forestum, de cujus situ maxime ambigunt, ita ut adhuc sub judice lis sit. Alii enim totam in Walacria

(1) J. Cæsar de B. G. V, c. 3.
(2) Descript. de la Gaule Belg., p. 20.
(3) L. IV, p. 194, ed. Paris., 1620.
(4) De *Arduennæ* silvæ vocabulo aliquid attulit Dumbeckius, l. l. p. 49-52.
(5) Wendelinus de natali solo legg. Salicar. p. 28, ed. Antw. 1649.
(6) *Ibid.* l. l., p. 136.

insula ponunt, alii in Bevelandia, alias alii. Communem nos sententiam secuti, per totam Wasiam regionem silvam extensam fuisse credimus. Quod ad naturam hujus regionis attinet, arbores et arbusta rara modo atque hinc inde dispersa in ea deprehendimus; quæ indoles ipsa voce exprimitur; Was *etenim seu* Wassig *non cespitem modo et locum nemorosum; verum etiam vacuum, incultum, eremum significat* (1). Quæ quidem ratio non *foresti* solum, ast integræ etiam Wasiæ est, maris æstubus tristem ac horridum præbentis adspectum.

Fannia (la Faigne) silvarum ultima, quæ quodammodo memoria digna est, ideoque nomen suum Hannoniæ pagi parti, Fanniæ nempe, imposuit, quam integram ornat ac decorat.

CAP. IV.

DE TRIPLICI NATURÆ REGNO.

§ XI.

Ordiamur de regno *animali*. Quemadmodum terræ natura non eadem ac hodie, sic vel homo non idem fuit, sed rudior et robustior, naturæ filius, sine cultu atrox et non plane absimilis feris, quæ in copiosis silvis innumeræ vagabantur, plura genera, quam hodie, eaque feriora. Sic ursi, hodie nequaquam reperiundi, tum temporis regiones has incolebant (2); aprorum quoque et luporum ingens copia: cervi

(1) Sunt verba Dumbeckii l. I., p. 51, coll. addendis.

(2) Vid. vit. S. Gisleni in Act. SS. Belg. IV, 377 et Fort. Presbyt. Carmen ad Gogon. l. VII, c. 4, v. 19.

denique, capreoli, vulpes, lepores, cuniculi, plurimæque aliæ istius generis bestiæ, quæ vel hodie passim deprehenduntur.

§ XII.

Majorum quoque *volatilium* genera, non ita rara, ac hodie sunt, incultam terram frequentarunt : aquilæ, accipitres, ceteræque alites nobiliores, præter timidiores hodiernarum silvarum incolas, tum frequentiores.

§ XIII.

Piscium etiam illo tempore, propter maris propinquitatem plura fuisse genera speciesque conjicimus, quorum vero nulla in annalibus mentio.

§ XIV.

Nihil denique certius nobis de mansuetis animalibus ac domesticis proditur. Plura enim e *Taciti,* quam e nostro sæculo XII nota. Ceterum porcorum, ovium, anserum, pavonum, columbarum frequentiam, quam in divitiis illi agricolæ habebant, majorem tum fuisse conjici licet ex Francorum legibus, quæ gravissimas istius generis animalium furibus pœnas minantur.

§ XV.

E regno *vegetabili* non plura, nobis quidem, nota, forte hodierno statui non absimilia. Arborum copia absque dubio major, genere tamen et cultu inferior. Quercus, ulmus, fagus, corylus, pinus, fraxinus omni tempore frequens. Inter segetes : secale, triticum, hordeum, avena in diplomatibus occurrunt. Inter ceteros terræ proventus *vinum* non prætereundum, cujus tum ubique monachi, ut alias, fecere in-

felix periculum : eodemque modo *Linum* memoratu venit, de quo plura *Plinius* (1).

§ XVI.

Non minus rara de regno *minerali* medii ævi mentio est, ut omnino, quoad metalla nobiliora, nostra terra omni tempore inops fuit. Quod unicum de *effodendo plumbo* diploma, monachis concessum, e sæculo XI, me reperire memini, hoc denuo quærentem aufugit. Ceterum, quod per totam Hasbanniam et Lomacensem detegitur, Romanis jam notum erat. Romam enim ditatam *Plinius* ait *totas per Gallias eruto plumbo* (2).

Hæc tamen ex antiquiori ævo certiora sunt : *Argentum* olim nullibi, *aurum* vero per totam Galliam ubique fuisse repertum, adeo ut ipsæ terrarum glebæ ac fluviorum alvei, si *Diodoro Siculo* fides (3), eo metallo abundarent. Auro enim mulieres ornabantur, auro armati milites splendebant, auri in Deorum templis acervi cumulabantur. Nemo vero nescit, hoc Belgium nostrum et vero alias multas, juxta Rhenum sitas terras, illo tempore ad Galliam fuisse numeratas. Si itaque illud aurum in nostris terris reperiebatur, credendum est, *fluviatile* fuisse, Rheno abrasum : deest enim tota auriferax nostris terris natura.

Cupro præsertim *Lomacensem* pagum nostrum abundasse, legere me memini. *Ferrum* hinc inde, e variis regionibus,

(1) H. N. L. XIX c. 1 ; nemo vero ex nostra ætate aliquid protulit, quod sciam.

(2) *Ibidem* L. XXXIV, c. 17.

(3) D. Sic. I. 305.

ubicunque gressus dirigis, cernitur. *Brachbatensis, Hanagavia* ac *Lomacensis* eo præ ceteris gloriantur, de quo jam *J. Cæsar* loquitur (1).

Marmora denique minime rara sunt; neque magis etiam *lapides illi candidi* a *Plinio* laudati (2). *Creta* maxime communis, qua jam Romano tempore floruere commercia. Duorum mercatorum cretariorum prope Mettensem urbem tumuli conspicuntur et aliâs votiva tabula existit in pago Wasdæ, Nehellaniæ Deæ consecrata (3), quæ sic habet :

DEÆ
NEHELLANIÆ
OB MERCES
RECTE CONSERVATAS
SECUNDUS SYLVANUS
NEGOCIATOR CRETARIUS
VOTUM SOLVIT LUBENS MERITO.

(1) De B. G. l. VII. 22.
(2) H. N. l. XXXVI. c. 22.
(3) Kesler de Dea Nehellania § 41, p. 236; — De Rondeau, opp. acad. p. 88.

ris vitæ industria hominum paraverat; atque antiquam denuo illa naturam obtulit, donec vel Franci, prædationibus satiati, mansuetiores fieri, firmas figere sedes, terras occupatas per partes distribuere, pagosque jam suos colere cœperunt atque Austrasiæ Neustriæque regna surrexêre; inque illis et pax, et quies, lex, formæque aptiores regiminis artesque humaniores cum nova religione oriebantur.

§ XX.

Duo circiter post Francorum adventum sæcula nova his terris lux oriebatur, quæ et mores hominum et præsertim agriculturam mirabili modo perfundebat. Nimirum *Monasteria* et *Abbatiæ* ubique in his terris ortæ mitiorem hominibus æque ac agris naturam fecerunt ac cerealia bona simul cum religione et legum reverentia sparserunt atque mox magnam vel in summas res gerendas vim exercuerunt.

§ XXI.

Ast felicia hæc Belgarum initia, egregia illa *Monachorum* in colendo populo cura posita, nullo pacto proficere potuit sub imbecilli illo, quod mox subsequebatur, Francorum regum imperio; ubi regnandi cupido Optimatum, structa regiæ potestati impedimenta, mutua vis, civilia bella, resque et interiores ac exteriores maxime fluctuantes in anarchiam verterunt miserum Belgium.

§ XXII.

Hoc ita perseveravit ad nonum usque sæculum, ubi jam pridem et diu præparatæ tempestates novæ atque aliis quibusvis terribiliores, ingravescente continuo interiori morbo, has

terras ad internecionem redegerunt (1). Quis autem est, qui *Normannorum* rapinas ac cædes et incendia ignoret, calamitatesque omnis generis per sæcula perdurantes (2)? Nomen efferre satis est, quo hodienum animi legentium percutiantur.

§ XXIII.

His autem tempestatibus non ager modo (augendorum hominum absoluta conditio) devastabatur, sed immensa simul hominum copia ense hostium delebatur. Hinc ad usque sæculum ferme undecimum homines paullatim ad pristinum adscendere splendorem conabantur, quo facies rerum lætior fiebat, monasteria frequentiora, ecclesiæ collegiatæ numerosiores, ditiorum hominum ac nobilium coïtus in munita oppida, unde e mœnibus structis contra hostes se defendebant. Civitatum origo ac civium, commerciaque a *liberis civibus* proprio Marte acta; agrorum cultus reparatus, pax longior, artes florere cœptæ : quæ simul omnia hominum copiam mirabili modo augebant. Attamen eorum numerus illius ætatis ne quartæ quidem parti ejus, qui hodie est, comparari posse, facile ex adductis in pagis nostris villis (quæ insuper nec hominum frequentia, nec terræ extensione nostros vicos referebant) conjici potest.

§ XXIV.

Ceterum vel in hac re primas partes *Brachbatensis* noster agit, cui secundus est *Hannagavia*, quem excipit hominum numero *Hasbannia*; dum pagi septentrionales, *Taxandria*, *Ottingia*, *Scaldensis* et *Masovia* propter naturæ sterilem istam rigiditatem spatiaque pallustria pauciores modo villas exhibent.

(1) D. Hieronymus, Ep. XI.

(2) Vid. Pithoei. Annales ad ann. 873 sqq.

PAGORUM IPSORUM DESCRIPTIO.

CAPUT I.

PAGUS MAJOR, WASDA DICTUS.

Pagi nomen, situs et fines; in Pagellos distributio; Pagellorum singulorum descriptio, MARST *nempe,* SCALDENSIS, WALACRIÆ et BEVELANDIÆ.

§ 1. Ordiamur a boreâ in meridiem pergentes. Occurrit primum *Wasda* pagus, quem triplici NOMINE promiscue appellatum invenimus, *Wasda*, *Wasa* et *Wasia*: significatio semper eadem est; WAAS etenim *demissum*, *madefactum*, *palustre* designat; AU *terram*, *solum* sibi vult; unde totam naturam ac indolem Pagi habemus, *terram madidam*. Cæsaris enim et vero Constantini etiam tempore undis jacebat adopertus, ut ab hujus quidem laudatore accipimus, qui hæc perhibet: *Regio illa, quam Scaldis obliquis meatibus interluit, terra vix est appellanda, ita penitus aquis imbuta permaduit* (1).

2. Regionem tam longo tempore aquis submersam antiquitus vix habitatam fuisse credideris; unde incertos FINES, ac nullos fere pagi LIMITES habemus. Hinc variæ Cll. virorum sententiæ: *Hadrianus Valesius* (2) in parte meridionali magis

(1) De nominis etymo vide F. J. DUMBECKII Geogr. Pagor. p. 51 sq. coll. p. XV in addend. et p. 2-4.

(2) In *Notitia Galliarum*. Parisiis, 1675. s. v. Wasda.

pedem figens, ab hâc boreali nostrorum tractuum abstituit. *J. Des Rochius* (1), mira solertia rem aggressus, variorum pagorum finibus delineatis, ultimo in paragrapho *de Zeelandiæ insulis* agens, insularum singularum descriptionem edidit, quin tamen, ad quem singulæ pertinerent pagum, et qui illius essent Pagi limites, nobis traderet.

Wastelinus (2), *Wasdam pagum* antiquitus Zeelandiæ varias insulas comprehendisse, ac inter Scaldim fl. et antiquum Mosæ alveum asserit fuisse contentum : *Besselius* (3) denique non tantum tractus, Zeelandiæ insulas, sed et Ottoniam nostram borealem conficientes, et quibus ad hodiernum usque tempus *terræ Wasiæ* (*'t land van Waas*) nomen superest, ipsi Pago adjunxit. Sunt et alii plures, qui terras hasce Ottoniæ solas, Wasdam constituisse contendunt, quorum tamen sententiam vel ipsa historia explodit : Theodoricum etenim Comitem a Ludovico Germano *forestum Wasda* docet accepisse, quod donum quum Flandrenses ipsi adimere conarentur, non alias partes, nisi Zeelandiæ insulas armis petiêre.

Nobis autem hæc veriora esse videntur : *Besselii* (4) sententiam amplexi, universam Zeelandiam simul et tractus,

(1) Mémoire sur la question : quelles ont été depuis le commencement du VIIme siècle jusqu'au IXme inclusivement les limites des différens pays, états renfermés dans l'étendue qui compose aujourd'hui les XVII provinces des Pays-Bas, et la principauté de Liége, qui a remporté le prix de la Société Littéraire de Bruxelles, en 1770.

(2) *Description de la Gaule Belgique.* Brux. 1788. s. v. Wasda.

(3) In *Chronico Gottwicensi*, ubi Wasdam-pagum describit, p. 844.

(4) *Ibidem.* l. c.

't land van Waas dictos, Wasdæ Pagum confecisse; universam Wasdæ partem, quæ in Zeelandiâ est, in pagellos varios subdivisam fuisse credimus; Wasdæ partem, *'t land van Waas* dictam, subdivisioni nulli submissam. Hinc, si de pagellis, quos Wasda continuit, fuerit sermo, *'t land van Waas* omnino tantum Wasiæ pars poterat nuncupari: Zeelandiæ itaque tractus, quoad divisionem in *Pagos*, *Wasdæ pagi* erant, quoad divisionem vero in *Pagellos*, erant vel *Bevelandiæ* vel *Scaldensis*, vel alîus pagelli: Tractus *'t land van Waas* dicti, erant Wasdæ pars, si pagos; si vero pagellos respexeris, plane non dividebantur, sed *Wasiæ* retinebant nomen; sive ut recte dixeris, *Wasiam proprie dictam* constituebant.

Ceterum posteaquam pagellus, *'t land van Waas*, s. *Wasia proprie dicta* ab Ottone imperatore a sæculo jam decimo comitatui Gandavensi adjunctus fuerat, Zeelandiæ insulæ solæ *Majorem Wasdæ pagum* conficiebant, Mosa boream versus, ad occidentem autem Oceano Germanico, ceteris ex partibus Scaldi fl. circumscriptum.

3. Varios jam Pagellos magnus ille *Wasdæ* Pagus includebat: nimirum *Marsum*, *Scaldensem*, *Walacriam*, *Bevelandiam*.

Marsi Pagi situm accurate describere nemo poterit.

Scaldensis, tractus continebat Oceano ab occidente, *Mosa* fl. a boreâ, *Scaldi* fl. a meridie inclusos; et variis constabat insulis, itemque continentis terræ nonnullis partibus, quæ a Scaldi nomen sortitæ sunt.

Walacriæ pagus insulâ comprehendebatur, unâ quidem,

sed nobilissima Frisiarum omnium, *Walacra*, *Walacria*, *Walchria*, *Walchra*, *Walchaum*, *Walacorum* appellata. Innotuit jam antiquis temporibus hic pagellus, et a suis comitibus regebatur.

Bevelandiæ pagus reliquas Zeelandiæ complectebatur insulas. Nomen ducebat a Gandavensi St. Bavonis monasterio, cui ab Ottone II imp. fuerat adscriptus : Scaldensem inter ac Walacriam medius, *Ottingiam* ab orientali et meridionali latere tangebat.

4. Marsum pagellus, non nisi ex D. Willibrordi Ep. Traj. testamento, a. 726 perscripto (1), noscitur; in quo hæc legimus : « *Heribaldus clericus tradidit Ecclesiam in* Pagum Marsum, *ubi Mosa intrat in Mare, cum appenditiis et mariscum, unde berbices nascuntur.* »

Situm *Miræus* ille nescire se fassus est; quem itaque vel nos ad illos tractus credimus reponendum, quos mare dudum absorbuit : quâ eâdem *Besselius* nos præit sententiâ, eo certius, quia nec ullum, quod ejus faciat mentionem, superest monumentum recentius.

5. Scaldensem pagum variis insulis constitisse diximus. Erant hæ quidem : Insula Schouwen seu Scaldia, quæ adhuc pagi denominationem servat, a voce nempe *Schoude*, seu Latinorum *Scaldi* appellata; Mosa, Scaldi ac Oceano cincta. Meridionalis insulæ pars, multo extensior, borealis vero angustior fuisse videtur (3). Jam circa a. 758—838 maxime frequens (4),

(1) A. Miræi *opera diplom.*, Tom. I, p. 12.
(2) *Chron. Gottw.* s. v. Marsum, p. 676.
(3) Des Roches *Mémoire couronné* en 1770, p. 61.
(4) Vid. *Chronyk van* Reygersberghe ad hunc annum. — Smallegang I, c. 19.

inclyta loca continuit, quorum hæc ferme in annalibus memorantur. Primum

Zirik-Zea, antiquitatis memoria clara, cujus primordia ad a. 849 reponunt scriptores, quorum audiamus Stockium hæc perhibentem (1) :

In 't jaar acht ondert ende negenen vertigh mede
Was gefundeert Zirik-Zee die stede
By een die Ziringus genaamt was
Alzoo men in de oude kronyken las.

Quod vero etymon inter aniles fabellas, puerorumque nugas, non injuste *Smallegangius* refert : hæc enim commoda est illa nominum, locorum, urbiumque ab heroïbus derivandorum vel Græcis usitata ratio : quapropter aliam audeamus hanc : Nimirum, a *Zirik* (Sout, sal) et Zee (mare) eam ducendam, quasi *salinam juxta mare sitam* autumamus. Atque hoc habe ejus etymi argumentum : in oppido nempe *Rommerswaal* mensura quædam salaria in usu fuit *Zirik-Lepel* (cochlear sive trulla salis) nominata (2) : quam sententiam veriorem præterea ducimus, quod in *Zirik-Zea* ob frequentiam salis viguisse commercia, ex permultis privilegiis, hujus rei gratia civibus datis, comperimus (3). Urbem a *Balduino Insulensi* castro munitam, mœnibusque cc. a. 1000 contra Flandrensium furores circumdatam, indeque mox cæteris superiorem annales produnt (4).

(1) Halma *Dict. géog.* s. v. *Zirik-Zee.* — Alting Menso, *Notitia Germ. inf.* P. II, p. 213.

(2) Halma l. l.

(3) Guichardin, *Description de la Belgique*, p. 310.

(4) Wastelain, *Descript. de la Gaule Belg.* s. v. *Wasda.*

Deinde GOEREA *insula,* priori a borea sita, Mosa marique limitata. Significatio nihil difficultatis habet; nam *Goeree portum navigationi aptissimum* indicat, unde commerciorum florem facile deduxeris. In boreali ipsius latere vestigia reperta fuêre urbis antiquissimæ, immo Romanam redolentis originem (1); quæ quidem vestigia stupentibus accolis non antea visa, ab iis *Oude-Wereld* nuncupabantur, quum æstate a. 1681, recedente ultra modum mari apparerent ædificiorum fundamenta, viarum quamplurimarum longissimarumque reliquiæ, invenirenturque dentes duo miræ magnitudinis, æneis ligamentis, temporum diuturnitate pene consumtis, conjuncti; nummi quoque cuprei, variis insignibus ornati, nonnulli effigiem Adriani, Antonini aliorumque ostendentes : porro ossa hominis in feretro inclusa, quod claviculis item cupreis continebatur ; vasa quoque urnulæque quamplurimæ ; avulsæ (quod mirandum) circumquaque arbores; quæ omnia intra mœnium ruinas, ejus quidem dimensionis, ut non mediocrem ibi fuisse urbem facile conjeceris, continebantur (2).

Variæ statim doctorum virorum de isto miraculo efferrebantur sententiæ, quarum hanc cummaxime notare in animo est, utpote quæ ea rudera veteris *Wittæ* emporii a Normannis a. 837 devastati (3) vestigia fuisse probat (4): *Wittam* s. *Wittam emporium* chronica vocant; urbem itaque commerciis florentem, ac idcirco non exiguam certe, ut in detectis vestigiis videre est : quo rerum intuitu, quam chronica omnino ad Mosam fl. collocant, eam nos in ostiis

(1) HALMA l. l. ubi doctos vel alios viros laudat.

(2) *Vide* SMALLEGANGIUM *in : Chronyk van Zeeland*, p. 699 sqq.

(3) SIGEBERT. GEMBLAC. ad a. 837.

(4) VAN RHYN *Antwoord op de outheden van Zuyd-Holland*, p. 354.

ipsius fluminis sitam, *Wittæ* urbem credimus, quod vel ex ipso vocabuli etymo constare videtur : *Wyd-a* enim *latum flumen* i. e. *fluminis ostia* indigitat.

Tertia *insula* FLAKKEA s. OOVER FLAKKEE est. Hanc antiquitus longe minorem, præsertim versus septentrionem, fuisse ex iis videre est, quæ a *Van Leuwenio* traduntur (1), qui eam multo auctam adjectis per mare terris refert; cui rei vel Tacitus adsentit, de *immensis* Mosæ ostiis locutus, quæ insula Flakkea nunc magna ex parte intercludit : congruam etiam habemus cum his ipsam insulæ naturam, quasi sabulo allato exaggeratam. Superest, ut ex etymo petamus argumentum : *Flakte* scilicet terram planam, i. e. planitiem (facile extendendam) significat.

Quarta *insula* DUVENEA s. DUYVELAND, Mosa fl. ac Scaldi cingitur, ab occidente *Schouwensi* vicina; sæculo XI eandem ob causam, ac altera minus extensa (2), atque ante Joannem II Holland. Com. vix nota (3); a Columbarum (Duyf) copia nominata, si quidem *Guicciardino* fides (4).

Insulam quintam, THOLEN, THOLE, TERTOLEN dictam, arctioribus olim limitibus circumscriptam credimus. Oppido ejus primario, licet exiguo, quod insulæ nomen retinet, vetustam originem *Astingius* (5) non abnegat; cui nomen a *telonio*, quod ibi solvendum venit, videtur inditum.

(1) *Batavia illustrata*, p. 147.

(2) DES ROCHES *Mém. couronné en* 1770, p. 61. — Tegenwoordigen staat van Zeeland, P. II, p. 445.

(3) ALTING MENSO *Notit. German. infer.*, P. II, p. 47.

(4) *Descript. de la Belg.* p. 311.

(5) *Notit. Germ. inf.* II. 47.

Supersunt *insulæ* minores aliæ tres, quæ huic *Scaldensi* pago ab Ottone II tribuuntur: *Steninga*, *Spranga*, *Wateranga*, et quas a Besselio cl. v. (1) Montibus ad Zomam ex adjecto sitas comperimus.

Ultima denique pagelli pars, in continenti terra jacens, Bergensem (recentiorem) comitatum complectebatur.

Accenset ad eumdem pagum VERNOUTSEAM *insulam Wastelinus* v. c. (2), quod haud probamus; Mosa enim tum in veteri decurrebat alveo suo, quem alveum ipse vir doctus Wasdæ limitem descripsit, ideoque hanc insulam jam ducto limite suo exclusit.

Cæterum villæ raræ, a *Besselio* (3) recensitæ, minimeque notæ, quæ ferme sunt: *Sunnomeri* in Charta Lotharii Regis Franc. Theodorico Holl. Com. data; *Maudacum* et *Crebka villa*, quam in *Kreeke-Gorse* repertam credimus.

6. In WALACRIÆ *subpago*, pauciora modo inclyta loca: MEDIO-BURGUM, *Middelburgum* (h. Middelbourg) Castellum in media insula situm; quod erectum creditur contra Normannorum (a. 900) vel, ut alii malunt, contra Flandrensium (a. 1000) incursiones. Solus Eyndius (4) antiquiorem ipsi originem vindicat.

WEST-CAPPEL, oppidum in occidentali latere sedens, cujus nomen a *Fano* (Cappel) in occidente (West) posito, du-

(1) *Chron. Gottw.* s. v. Scaldensis et Wasda, p. 844, coll. 765.

(2) *Descript. de la Gaule Belgiq.* l. c.

(3) *Chron. Gottw.* l. l.

(4) HALMA. *Dict. Géogr.* s. v. Middelbourg.

cendum. Videtur pervetustum ac paganorum olim Diis sacratum : *Becanus* (1) ibidem Herculis ædium rudera sese vidisse testatur, cui licet non semper assentiendum, hoc tamen loco fidem negare nolumus, quum lapideam eamque antiquam hujusce Dei effigiem a. 1541 invenerint (2). Nec Herculis modo numen in *West-Capello* collebatur, nam vel Mercurii statuam D. Willibrordus, ubi in Walacriam venerat, dextruxit (3) :

Tot West-Cappelen dat hi quam
Daer hi aenbedende vernam
Mercuriose over eene god
Dat beelde door ons heren gebod
Brac hi, ende hevet volk geschonden.

Hinc patet, urbem primas in tota Walacria tenuisse ad id usque temporis, quo *Medio-Burgo* cedebat.

Domburgum, oppidum Walacriæ antiquum, cujus nomen alii a Latinorum vocabulis *Domini-Burgum*, alii a Flandrorum *Duin-Burght* (arx in littore sita) deducunt (4). Quidquid sit, Castellum habemus, in littore conditum, quod inventis ibi monumentis antiquitatem suam testatur. Nam non tantum Antonini, Maximini, Posthumii, Victorini aliorumque numismata; verum etiam ædium fundamenta, viarum tractus, fossæ ac sepulchra longe lateque patentia ibi inventa fuêre; ut non vici, sed magnæ cujusdam urbis

(1) Ap. Des Roches *Mém. cour.* (sur les lieux réputés comme villes avant le VIIme siècle) en 1768, p. 30.

(2) Gargon. *Arcad. Walch.* I, p. 186. et Vredius, ab Halma laudd.

(3) Referente Stockio in Chron. ad a. 694 p.

(4) Halma *Dict. géogr.* s. v. — Boxhorn. *Chron. Zeeland*, p. 289. — Smallegang. *Chronyk*, p. 631.

videantur reliquiæ. Claruisse urbem commerciis, ex votis Neptuno Deæque Nehellaniæ oblatis, quorum lapides extant, conjicimus : *Oppidum* fuisse *prætorium* ex inscriptione ibi reperta, docuit *J. Des Roches*, V. cl. (1), quæ sic habet :

Diis Deabusque præsidibus provinciarum
Concordiæ et fortunæ conciliorum.

Utrum præterea vicos aliquos villasve incolæ tenuerint, compertum nullatenus est; sed sive per singulas domus separati habitasse, sive altioribus in locis coivisse videntur, ubi nunc forte *Westhut, Oost-Cappel*, aliaque loca sunt.

7. Bevelandiam Wasdæ supagum varias item insulas fuisse complexam discimus, quæ sunt :

Insula Bevelandiæ-Borealis quæ aggeribus a. 850 munita (2), hodie multo minor quam antiquitus apparet; anno etenim 1288 multa pars aquarum fluctibus adimebatur (3). In ea nobilis locus est :

Cortagosura (h. Cortgene s. Korkene) antiquissimus, ex dipl. quodam Ottonis II a *Besselio* (4) adductus; cui adnuit *Altingius* V. cl. *Chronicum* tamen *Reygersbergense* (5) ejus primordia ad a. 1417 rejicit, quo ea a Joanne de Borsele, nobili quodam Zeelandiæ, posita autumat : quas diversas opiniones componemus eo, ut villam fuisse antiquitus dicamus, a Joanne de Borsele ad oppidi fastigium postea evectam.

(1) *Mémoire cour.* en 1768, p. 30.
(2) Halma *Dict. géogr.* s. v. — Smallegang. *Chronyk*, p. 293.
(3) *Tegenwoord. staat van Zeeland*, P. II, p. 332.
(4) *Chron. Gottw.* s. v. Wasda.
(5) Alting Menso. *Not. Germ. inf.* P. II, p. 38.

Huic insulæ contiguæ sunt *aliæ duæ*, nullis tamen monumentis claræ: *Orissant* in boream, ex parte aquis obruta, et *Wolfaersdyk* in meridiem locata. Utriusque nulla ante a. 1280 auditur mentio; utrum itaque olim a *Bevelandia-boreali* separatæ fuerint, nec ne, non audeo dicere (1).

Insula BEVELANDIÆ-AUSTRALIS, aggeribus item a. 850 munita, sine dubio habitata fuit, ut oppidula ejus testantur:

ROMMERSWAAL, *Rymerswaal*, *Roerswaal*, *Remburswaal*, in orientali insulæ parte (aquis postea submersa) jacebat. *Eyndius* ille (2) atque *Heussenius* antiquissimam, eamque Romanam originem ei assignant; negant *Boxhornius*, *Van Leuwen*, alii (3).

GUSAHAM (h. Goes), villam ex traditionibus Laurishamensibus a Besselio (4) allatam, ab anno solum 1300 claram; castellum ab initio fuisse narrat Stockius:

Ter-Goes was een begin
Van eenen huze.

PAPINGLANDIA, locus item a Besselio (5) allatus, in *Papenhoek* hodierno superstes.

Insula BORSALIA versus meridiem latius olim prosiliens, a *Bevelandia-Australi* erat separata (6); Bevelandiæ tamen

(1) J. DES ROCHES. *Mém. cour. en* 1770, *p.* 61.—EYNDIUS *Chron. Zeeland.*, p. 104.

(2) *Ibid.* l. l. coll. Halmâ l. c.

(3) HALMA s. v. *Rommerswaal.*

(4) *Chron. Gottw.* s. v. Wasda.

(5) *Ibid.* l. l.

(6) DES ROCHES. *Mém. cour.* en 1770, p. 61.

pagi, propter locorum vicinitatem, partem fuisse hanc eamdemque insulam, quæ *Gerselre* in Chartâ Ottonis a. 966 nuncupatur, non abnego (1).

Cæteras *insulas* omnes, D. Josephi, Bevelandiæ-orientalis, Vosmeer novi, D. Philippi recentiores esse volunt (2).

(1) Vid. Kluytius V. cl. *in Hist. critica comit. Holl. et Zeelandiæ*, Tom. I, p. 1. Gesquierre *Act. SS. Belg.*, P. II, p. 343.

(2) Des Roches l. l.

CAPUT II.

PAGUS MAJOR,

OTTINGIA.

§ 8. *Nomina*, *fines et limites.*

Nomina quæ consecutus est hæc sunt : *Ottingia* (1) ab Ottone Imp, a quo fuerat institutus; atque *Comitatus Gandavensis* a Comite eidem præfecto.

In finibus ducendis nullum dubium. Pagus ipse ab Ottone duobus minoribus, scilicet *Wasdâ propriâ* et *Gandavensi* (Brachbatentis *pagello*) compositus est. Scaldi a boreâ, a meridie et oriente; ab occidente fossâ illâ *Ottonianâ* terminabatur, ita tamen, ut loca quædam trans fossam sita, minora quidem, ad nostrum pertinerent; limites : *Bocholt*, *Hekinghem*, *Winderholt*, *Marka* villæ fuere.

Tractus, *'t land van Catzand* dicti, pagi Flandrensis erant, sed qui nequaquam ad *antiquam Wasiam proprium*, quod volunt nonnulli, attinuerunt (2).

9. *Locorum notitia.*

Asneha, *Hasnethe*, *Asneda* (h. Asnede) in dextra fossæ Ottonis ripâ, villa ab eodem Ottone Wichmano Com. data (3).

(1) Du Chesne, *Hist. généal. de la maison de Guines*, preuves du liv. II, p. 42, éd. Par. 1631.

(2) Besselius (*in chron. Gottw.* p. 595) *demonstrat*, *Oostburgum Flandrensis* pagi ditionis fuisse.

(3) Miræi *opera diplom.*, T. I, p. 45.

AXLA, *Axela* (h. Axel) ad dextrum latus fossæ sita, villa cum ecclesia eidem Wichmanno cum Asneda tradita (1); quam ecclesiam Burchardus Episc. ditionis basilicæ Traject. S. Salvatori dicatæ, a. 1005 fecit (2).

BOCHOLT, *Bochout* (h. Bochaute) in sinistrâ ripâ Ottoniæ: villa erat cum eccl., Wichmanno Com. ab eodem Ottone donata; cujus item ecclesia eidem basilicæ adscribebatur (3).

CANELANS, *Calloa, Chavelans* (h. Calloo) locus ad Scaldim occiduam, a B. Amandi temporibus notus, in cujus vita (4) situs loci in *insulâ quâdam* (Scaldis forsan) ponitur.

DESSELDONK (h. Desteldonk) locus ignobilis, inter Metmedonk et Gandam situs, ab a. 967 in Dipl. Lotharii reg. (5) legitur.

GANDAVUM, *Ganda, Gandavus, Gant* (h. Gent s. Gand) urbs sæculo nostro splendida, orbisque totius nostri facile frequentissima, ad Scaldis Lætiæque fl. confluentes condita. Si annalibus fides, ejus primordia habemus antiquissima: Chronicon enim S. Bavonis ea ad a. 47 ante Ch. n. removet, res fabulæ, quam vero similior! *Meyerus* cc. a. 411 castellum quoddam a Vandalis vel expugnatum ibi, vel constructum autumat, unde locus *Wanda* esset vocatus, cujus nomen in *Gandam* decursu temporis abiisset: quæ sententia prius allatæ non dissimilis est. B. Amandi tempore (hoc certius)

(1) MIRÆI *opera diplom.* T. 1, p. 45.

(2) ALTING MENSO, *Not. Germ.* inf. T. II, p. 15.

(3) *Ibid.* l. l.

(4) *Act. SS. Ord. S. Benedicti Sæc.* II, p. 712. — DUCHESNE l. c. I. 645, n° 18. — *Act. SS. Belgii* II. 468.

(5) MIRÆI *op. dipl.* cod. don. piar. c. 36.

quo primum innotescit (1), *oppidum* erat spectabile ac in dies crescens, præsertim ab inde ætate Balduini Insulensis, qui, a servitute ab Arnoldo II Com. populo imposita, urbem liberans, novos undecunque cives vocavit (2) : quo ductus urbis incremento eam a. 1049 mœnibus cinxit (3); Scaldim inter ac Legiam continuo contentam, nihilo tamen minus inter clarissimas monumentisque suis splendidissimas numeratam urbes.

Erant hæc monumenta duo imprimis monasteria a B. Amando creata : quorum *alterum* sumtibus divitis cujusdam Hasbanniæ viri, a quo Bavonis nomen accepit, in ipso castro ædificatum est, unde nonnunquam *castrense monasterium*, *monasterium Ganda*, *monasterium Gandavum* appellatum scriptores asserunt : situs itaque in ipso *Castro* non extra dubium positus est, propterea quod eo tempore vel ipsæ civitates *Castra* dicebantur; atque monasterium nostrum promiscue *monast. Gandavum* (i. e. urbis) et *Castrense* nuncupabatur. Anno 850 Normannorum flammis periit (4); ab a. 854 confirmante Lothario rege ab Arnulpho Fland. Com. instauratum (5), ad id quod describimus tempus, summo stabat splendore. *Alterum* monasterium a. 610 ab eodem B. Amando, in Blandinio monte, in honorem Sancti Petri ædificatum : quod etiam præsertim ab Arnulphi tempore,

(1) Oudegherst *Annal. Fland.* c. I, col. laudata *Vita St. Amandi* in Act. SS. Belg. l. c.

(2) Dewez, *Dict. géogr.* s. v. Gand.

(3) Meyerus, *Annal. Flandr.* ad an. 949. — *Act. SS. Belg.* II. 613.

(4) *Chron. St. Bavonis* ad a. 851.

(5) Miræi *op. dipl.* I. 42.

florebat. Deinde urbs claruit *Castro*, quod *Vetus Castrum* nominabatur, alio, cujus nullam invenimus mentionem. *Alterum* item apud scriptores est, ab Ottone Imp. in limite contra Flandrenses a. 949 exstructum ac Wichmanno Com. traditum. *Tertium* est *Castrum Balduini Ferrei* (1), a. 867 a Normannis deletum, ab Arnoldo Com. reædificatum, nomine *Petræ comitis* ('s Graavens Casteel) insignitum (2). Animos spectantium tenuit miro architecturæ stilo condita S. Joannis Baptistæ *Basilica* (h. l'église de St.-Bavon), a. 941 a Transmarino Episc. Tornac. XVII Kalend. Maji in honorem S. Joannis ac SS. Confess. Vedasti et Bavonis exstructa (3). Notum ex eodem tempore est fanum D. Pharaildis. Tum *Portus* Gandavensis claruit, quem Carolus Magnus navium, quæ ibi ædificabantur, visendarum causa adivit (4), jam tunc spectabilem; postea, Ottonis fossa excavata, sine dubio adauctum. De quibus omnibus uberius egit vir abunde clarus, *Bastius* ille (5), rerum nostrarum indagator studiosissimus et sagacissimus, quem legere satius est.

Gundelghem, *Gundenghem*, *Gunringhem* (h. Wondelghem) ad sinistrum latus Ottoniæ fossæ, villa in Blandiniensis monasterii bonis, jam a. 950 a Ludovico Transmarino posita (6); quæ

(1) Grammayus in *Gandavi Descr.* p. 7.

(2) *Ibid.* l. l., p. 8.

(3) Miræi *op. dipl.* VI, 347.

(4) *Annal. Francor. Loiseliani ap.* Duchesne, L. II, p. 42.—Bouquet, *Recueil des hist. de France*, T. V, p. 61.

(5) *Recueil d'Antiquités romaines et gauloises*, s. v. Ganda.

(6) Miræi *op. dipl.* I. 260.

vel in dipl. Lotharii a. 967 (1) occurit; ac non minus inter possessiones Blandiniensis monast. a. 1030 recensetur (2).

HEKINGHEM, *Ekerghem* (h. Everghem) prope Gundelghem, cujus utriusque mentio fit in dipl. Lotharii a. 967 (3), pago Gandensi adscripti.

HULSTA, *Hulst* (h. Hulst), villa Axelam inter et Canelans; ab Ottone Imp. a. 949 Wichmanno Com. tradita (4).

MARKA, *Marca* (h. Mariekerke) juxta Gandavum; nomine suo limitem designare videtur : Gandavensis eam pagi fuisse ex dipl. Caroli Calvi noscitur, quo varia ille prædia Gandavensi D. Bavonis cœnobio tradit (5). Ex recensione Othelboldi Abbatis eam cum eccles. videmus (6). In notis ad dipl. Caroli Miræus *Marcam* sese in *Cortemark*, seu in *Marke* reperiisse credit; perperam, ut nobis visum, quoniam hæc loca in Menapisci pagi meditullio jacent, nostraque *Marka* expressis verbis Gandavensi pago adscribitur; inde nos eam in *Mariekerke* tum ex *Gandavensis urbis*, tum ex *Ekergemii* (quocum in Othelbodi recensione jungitur) vicinio, reperiisse credimus, ut facillime ex *Marca* (est enim *limes* inter nostrum et vicinum pagum) loco, qui *ecclesiam* habuit, *Mariekerkam* composueris.

METMEDUNG, *Metmedonk* (h. Metmedonk) locus, ubi B. Al-

(1) Ejusd. codex donat. piarum c. 36.

(2) MIRÆI *Op. dipl.* I. 349.

(3) Ejusd. codex donat. piar. c. 36.

(4) Ejusd. *op. dipl.* I. 45.

(5) Ejusd. *op. dipl.* I. 26.

(6) Ejusd. *op. dipl.* I. 349.

lowinus s. Bavo sibi sacellum construxit (1), ex quo villa enata, quæ a. 967 a Lothario rege Gandavensi cœnobio adscribebatur (2). Videamus *Metmeding* villam in vita D. Bavonis descriptam (3), unde pagi indolem noscere non difficile erit: hæc enim ibi leguntur: « *Digressus longa rursus per dispen-* » *dia, alium requirit eremum, athleta Dei Allowinus,* METMEDUNG *nomine, a sua Ganda distantem duorum tantum* » *milliard. itinere: locus in densissimum nemus silvescens,* » *vasta ac pene inaccessibili palude distentus: pomorumque* » *quæ gignit saltus, et nucum ferax; præterea amnis leni mur-* » *mure præterfluens facile habitationem suadent.* »

MERENDRE (h. Merendert) non longe ab ipso Gandavo, villa, cujus sermo fit in recensione Othelboldi Abb. (4) a. 1030 instituta « *ubi Mansus quinque in pago Gandensi in villa* » *scilicet Merendre* » donantur.

SLOTA (h. Slotedries) villa ad dextrum Scaldis fl., quæ in eodem Othelboldi dipl. a. 1030 recensetur, utpote antea a. 967 eidem monasterio donata.

SLONDERGA locus prorsus ignotus, qui cum præcedente in dipl. Lotharii conjungitur (5).

TEMSECA (h. Temst) ad Scaldim; variis dipll. pago Wasiæ propriæ adscribitur: imprimis dipl. Caroli Calvi (6), a quo

(1) *Act. SS. Belg.* II, 481.
(2) MIRÆI *cod. don. piar. c.* 36.
(3) *Act. SS. Belg.* II. 507.
(4) MIRÆI *op. dipl.* I. 349.
(5) Ejusd. cod. don. piar. c. 36.
(6) Ejusd. op. dipl. I. 260.

Blandiniensi Abb. donatur : « *in pago Wasia super fl. Schalde, villa, quæ vocatur Temseca cum ecclesia bene ornata.* » Locum vel in recensione bonorum Blandiniensis Abb. a Ludovico Transmarino Franc. rege facta (1), atque in dipl. Arnulphi Fland. Com. a. 937 (2), habemus.

THASLA, *Tesla* (h. Desselberg) villa ad Scaldim locata, huic comitatui sine dubio adscribenda, cum eandem Wichmannus Com. S. Petri monasterio largitur, quod Lotharius a. 964 confirmat (3).

WILDA ex eodem Othelboldi dipl. (4) nota villa, quæ quidem periisse videtur, ut alia quædam loca, quibuscum jungitur.

WINDERHOLT (h. Vinderhouten) villa cum ecclesia ad Gandavi occidentale latus, in eâdem Othelboldi recensione occurrens.

(1) MIRÆI *dipl. Belgica* I, c. 9.

(2) *Ibid.* l. l.

(3) MIRÆI *op. dipl.* I. 43. II. 940.

(4) *Ibid.* I. 349.

CAPUT III.

PAGUS MAJOR,

TAXANDRIA.

Nomina varia; fines et limites; divisio Taxandriæ, qui complectitur pagum STRYENSEM, RYENSEM, TAXANDRIAM PROPRIAM; *quorum loca describuntur.*

§ 10. Pagus, quem pagi majores supra allati, Wasda et Ottingia orientem versus excipiunt, *Taxandria* dicitur, variis temporum tractu NOMINIBUS insignis: *Tessandria, Debsandara, Texandria, Toxandria, Taxandria, Debsàndria, Campania, Campinia.*

Taxandriæ nomen a *tàs* et *sand* (i. e. arenæ mòles) supra ducebamus; nomen *Campaniæ* a *Campis* seu apertis ejusdem agris inditum credimus; quod utriusque vocis etymon cum natura integri pagi, ut item suprà videbamus, quadrat.

11. De Taxandriæ LIMITIBUS non omnino inter sese viri docti convenêre: *Wastelinus* (1) eum *Masgoviâ* orientem versus, *Dunga* ac *Nitha* fl. ad occidentem, *Mosa Tameraque* fl. ad boream meridiemque finiri, inque eo *Comitatum Mansuariorum* includi autumat. *Des Roches* v. c. (2) ipsi eosdem tribuit limites, *Comitatum* tamen *Mansuariorum* ei non accensens; sed in describendis Taxandriæ limitibus occidentalibus *Ryensis* pagelli et *Stryensis* partem nostro ad-

(1) *Description de la Gaule Belg.* s. v. Taxandrie.

(2) *Mém. cour. en* 1770 s. v. Taxandrie.

dens, illosque pagellos tanquam terminos nostri locans. *Besselius* (1) integrum pagum *Ryensem* totumque *Stryensem* in Taxandria comprehendendum autumat; cum quo congruit vel *Valesius* (2). Quam discrepantiam sic componamus : nostrum nempe complexum fuisse et *Ryensem* et *Stryensem* pagellos, cui vero utrique sua tribuimus nomina, nostrum PROPRIE *Taxandriam* vocantes. *Com. Mansuariorum* a solo *Wastelino* huic pago tributum, non æque nos addendum censentes, *Hasbaniæ* potius cum cæteris adscripsimus, hac innixi ratione : primo, Wastelinus ipse, quod fecit, sine argumento s. documento allato fecit : deinde nomen *Comitatus Mansuariorum* nulla in charta *Taxandriæ Comitis*, sed *Roberti* Com. *Hasbanniæ* occurrit (3): tum loca, quæ in illa charta simul cum *Mansuariorum Com.* referuntur, omnia ad *Hasbanniam* pertinent, e. gr. *Diesthemiensis Comitatus*, quem nullo pacto Taxandriæ tribuere, sed *Hasbanniæ* debuit vir clarissimus.

Majoris itaque *Taxandriæ* pagi limites erant, *Wasda* et *Ottingia* ab occid., *Mosa* a borea, *Masgovia* ab ortu, *Brachbatensis* et *Hasbanniensis* a meridie.

12. Taxandriæ PAGELLI; *Stryensis*, *Ryensis*, *Taxandria propria* sunt.

Loquamur de STRYENSI primum, qui recte terminatur a viris laudatis, *Wasia* ab occid., *Taxandria propria* ab oriente, *Ryensi* a meridie. Quod fines boreales attinet, dissentimus. Illi enim locum *Stryen* in boreali *Mosæ* fl. ripâ collocant.

(1) *Chron. Gottw.* p. 746, 795.

(2) *Notitia Galliarum* s. v. Taxandria.

(3) MIRÆI *op. dipl.* I. 493.

Quum vero *Mosa* flumen (præsertim ad ostia), *amplissimum*, *limes* esset borealis *omnium* pagorum, qui circa fuere; *Stryen* quoque oppidum, quod illi nempe volunt, *ultra* Mosam reapse esset locatum, ideoque *ultra communem* pagorum *limitem*, et quidem locus unicus, qui ad hunc pagum pertineret; quum denique ipsi *medio fere pagello* et quidem in *vicinitate* castelli *Sprundelheim*, quod solum etiam *Castellum* fuit, ideoque *sedes* forte ipsorum comitum, locum *Stryen* inveniremus (1), qui toti pagello nomen dedit; primum, hunc nostrum *Stryen verum* ducimus fuisse, atque deinde nostri pagi *limitem Mosam* fl. credimus; *non qualem hodie conspicis, magis in boream decurrentem, sed qui reapse tum temporis fuit, ut supra monuimus.*

Alter pagellus est *Ryensis*, *Renensis*, *Renensium*, *Ryen*, in meridiem situs. In describendis finibus congruunt omnes : a boreâ scilicet pagum *Stryensem*, *Taxandriamque propriam* interfluente Nithâ; a meridie *Brachbatensem Hasbanniensemque s. Tameram* fl.; in reliquâ parte *Scaldim* fl. limites assignant. *Marchionatum Imperii*, i. e. ultimam marcam, vocatum ab anno jam 1081 pagum hunc habemus (2).

Tertius adest *Taxandria propria*, prioribus in ortum situs, ab omnibus iisdem circumscriptus limitibus; a boreâ *Mosa* fl., ab oriente *Masgovia*, a meridie *Hasbanniâ*, ab occidente *Ryensi* et *Stryensi* pagellis.

§ 13. STRYENSIS PAGELLI LOCA.

BAERLE. Villa in meditullio totius fore Taxandriæ sita,

(1) Cfr. Tabula geogr. Ducat. Brab. a v. cl. De L'ISLE confecta.

(2) HINCMAR, a WASTELINO citat. in *Descript. de la Gaule Belg.* p. 216.

Stryensis pagelli limes orientalis; inter ea loca occurrit, quæ ab Hilsunda Com. de Stryen Thorensi monast. ad Mosam a. 992 traduntur; in quâ donationis charta *Stryensi* adnumeratur (1).

Bergom, *Bergizonium*, *Bergæ-ad-Zomam* (Bergen-op-Zoom) villa (nam urbis formam non nisi a. 1287, sub Joanne I accepit), quæ nomen a situ (super rivulo *Zomæ*) ducit. In dipl. Ottonis I a. 966 occurrit, quo Stryensi Comitatui, hæreditati D. Gertrudis annumeratur: « *Villa quæ dicitur Bergom super fl. Struona.* » *Besselius* eam (2) in *Gertruyden Berge* quæsivit, quæ vero urbecula *Dongæ* fl. adhæret: quod superest, videmus, quo jure diploma illud Ottoni *Secundo* vir clariss. adscribat; nam eo tempore Otto *Primus*, neque vero *alter*, imperium tenebat. Cæterum hæc villa ecclesiam a D. Gertrude ædificatam et ab Amando Episc. sacratam habebat (3).

Gilleyla, *Geleyla* (h. Gilsen) in confinio villæ *Baerlæ* quacum in dipl. Hilsundæ Com. Thorensi monasterio donatur (4).

Mons littoris (h. Gertruyden Berge) villa in colle ad Mosæ ripam *nostram*, in parte boreali Stryensis pagi sita. Ecclesiâ gaudebat, a D. Amando ædificata: « *ubi St. Gertruydis corporaliter conservata est* » ut legitur in dipl. laud. Hilsundæ Com.

Sprundelheim (H. Sprundel) castellum Bergizonium inter

(1) Miræi *op. dipl.* I 146.

(2) *Chron. Gottw.* s. v. Wasda.

(3) Le Roy *Notit. March. S. Rom. Imp.* p. 442.

(4) Miræi *op. dipl.* I. 146.

et Montem littoris, Marcæ fl. adjacens, qui ipsi situs adscribitur in eodem Hilsundæ dipl., quo Thorensi monasterio donatur.

Stenoberga, *Stenem* (h. Steenbergen) antiquissimum Ryensis pagi oppidulum, duabus a Bergizonio leucis dissitum : cujus originem Le Roy v. c. (1) ab inde a. 603 repetit; quod Guicciardinus (2) olim oppidum fuisse potentissimum prædicat, mirabili prorsus et maxime frequenti portu insigne; cui Grammayus ille assentit (3), qui insuper oppidum hoc Mosæ Trajectensium ecclesiæ ditionis fuisse probat e restitutione illius a Lothario rege huic ecclesiæ facta.

Stryen (h. Stryen) locus inter castellum Sprundelheim Montemque littoris jacens, cujus ecclesia D. Mariæ dicata eidem Thorensi monast. donatur ab Hilsunda illa Com. (4).

§. 14. RYENSIS PAGELLI LOCA.

Antwerp, *Andawerpa, Andawerpia, Anturpia, Antwerpa, Antwerpum, Antwerpia* (H. Antwerpen, Anvers) in ripâ Scaldis situm, totius pagelli caput, *Castri* nomine i. e. *muniti oppidi*, ecclesiâ D. Walburgis insigniti notum, commerciis jam illo sæculo sic satis florens. Ædes ibi Martis olim fuisse protulit *Becanus*, quam sententiam vel *Grammayus* probat dipl. quodam ex anno 1240 allato, in quo de *Diens-Veldo*, urbis parte, sermo est (5) : quâ in voce *Diens* nomen *Martis*

(1) *Not. March. S. Rom. Imp.* I. 1.

(2) *Descript. de la Gaule Belg.* II. 271.

(3) *In Antiquit. Bredanis*, p. 24.

(4) Miræi *op. dipl.* I. 146.

(5) Grammayus *Antiq. Antwerp.* p. 12.

superstes expiscatur; quæ forte non certiora sunt aliis fabellis, quæ de Antwerpiæ primordiis, a Gottilone quodam Gigante positis, narrantur; e cujus historiola, quoniam nempe, si famæ fides, prætereuntes manibus ille privasset inque Scaldim fl. eas *projecisset* (*manus* enim Flandrice *Hand*, *projicere* vero *Werpen* indicat, *Antwerpiæ*) *nomen* trahunt. Rectius mihi hoc etymon duci videtur ab *aan 't werp* (ad ripam i. e. *in stamine navali*) conditum. Ante sæculum VII de Antwerpia nihil certum; hoc autem sæculo B. Eligius paganos illos ad meliorem frugem revocare studuit (1). B. Amandus Antwerpiensium sedes ecclesia ornavit in SS. Petri et Pauli honorem exstructa; quæ postea vel *S. Walburgis* nomine fuit insignita. Normanni a. 836 s. 837 Antwerpiam vastarunt (2); quo tempore, in annalibus vel *oppidum* vel *civitas* vocatur: licet totius *civitatis* ambitus non excederet *Castri* (de borcht) extensionem: augmenta enim ex adjacentibus locis non nisi ab Henrico Duce a. 1201 accepit (3): ita ut pulcherrima illa et splendidissima B. Mariæ ecclesia *extra* oppidi ambitum esset, quæ hodie in media urbe jacet. Longe itaque abfuit, ut, tum temporis, Antwerpia illam consecuta esset gloriam, quam postea Scaligerus hisce mactavit verbis (4):

Oppida quot spectant oculo me torva sinistro
Tot nos invidiæ pallida tela petunt!
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
Ingens, res Venetum Vasta, Tolosa potens.

(1) Audoenus Rotham. Episc. in *vita St. Eligii*, l. XI, c. 8.—*Act. SS. Belg.* III. 236.

(2) Sigebert. Gemblac. ad. an. 837. — Bouquet, *Recueil des hist. de France*, IV. 234.

(3) Le Roy *Not. March. S. Rom. Imp.* p. 3-26.

(4) Vid. Geographiam Blauwiensem T. VI, s. v. Antverpia.

Omnimodo merces, artes priscæque novæque,
Quorum insunt aliis singula, CUNCTA MIHI.

BADFRIDE (h. Badfride) locus obvius in dipl. Henrici Imp., quo a. 1008 bannum bestiarum tradit Balderico Episc. Leod. (1). « *Proprias silvas, quæ sunt inter illa duo flumina, quæ ambo Nithe vocantur sitæ, et quæ pertinent ad illas villas* HEISTE *et* BACFRIDE, *nec non* MACLINES *nominatas, quod totum* WATERWALD *appellatur in Comitatu Gozilonis Com., qui Antwerp dicitur, situm...* »

BACWALDE, *Bocholt*, *Boucholt*, *Boucholum*, *Bouchanta* (h. Bouchaute) meridiem versus in Antwerpiæ viciniis: quam ego *villam* fuisse credo, et *ecclesiâ* forte ornatam: locus ceterum sæpe sæpius in dipl. occurrit: in testamento B. Willebrordi (2); in dipl. Ottonis a. 974, quo monasterio D. Bavonis traditur: « *Bocholt in pago Riensi.* » Etiam in recensione bonorum ejusdem Abbatiæ a. 1003, a D. Henrico Imp. instituta (3); denique in Othelboldi Abbatis recensione locorum a. 1030 perscripta (4).

BURENTE (h. Vremde), haud procul a *Bacwalde*: cujus mentio fit in dipl. Ansfridi, quo varia bona Ultrajectensi ecclesiæ tribuuntur (5): « *Quamdam mei juris hereditatem, quam antea potestative possederam, infra comitatum Rien nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina:* WESTERLO, ODLOBOLO, MEERBEKE, BURENTE. » Non longe ab hoc loco *via*

(1) MIRÆI *op. dipl.* I. 83.

(2) *Ibid.*, I. 14.

(3) *Ibid.*, l. l. I. 49, 347.

(4) *Ibid.*, l. l. I. 349.

(5) BESSELII *Chron. Gottw.* s. v. Ryen. T. IV, p. 18.

militaris, quæ per Womelghem a Bavaco in Bataviam ducebat, reliquiæ a. 1717 detegebantur (1).

CONDACUM (h. Condek), locus ad Scaldim, ex vita St. Berlindis notus. Witgerus (scribente Harigero Abbate Lobbiensi) illius pater, Lotharingiæ dux, a portu Antwerpiensium usque *Condacum* comitatum regebat (2).

FURGALARE (h. Vogelaar), locus Antwerpiæ ab ortu situs, in Willebrordi testamento supra laudato occurrens (3).

FURNETHA locus incognitus, in citata Henrici Imp. recensione bonorum Abbat. St. Bavonis a. 1003 cum Bacwalde jungitur, unde et huic eum pago adscripsimus : « FURNETHE *cum* ECCLESIA *et nemus Sommigerothe* (4). »

HEISTI, *Heisten, Heista* (h. Heist), pagi Ryensis villa ad majorem Nitham sita, cujus mentio fit in Henrici Imp. recensione a. 1003 facta (5). »

HAYBEKE (h. Hoboke), locus ad Scaldim, meridiem versus, haud longe ab Antwerpia distans, de quo sermo in Asfridi diplomate a. 997 occurrit (6).

(1) *Mémoires de l'Acad. de Bruxelles*, Tom. 4, p. 418.

(2) *Act. SS. ord. S. Bened. Part.* I sæc. 3, p. 16. — BOUQUET, *recueil des hist.* III, 526.

(3) MIRÆI *op. dipl.* I. 12.

(4) *Ibid.* l. l. I. 347 legitur.

(5) *Ibid.* l. l.

(6) BESSELIUS, l. l. s. v. Ryen.

Keersbergen (h. Chierberge) quæ « *integra villa cum ecclesia in Comitatu Anvers* » chartâ quâdam a. 1036 ponitur (1), Tamiræ fl. in borea sita.

Ledi, *Ledo, Ledonas, Lira, Nivesdonk* (h. Lier), ad Nithæ utriusque confluentes, pagi Ryensis orientalis limes, ut in vita cernitur St. Guntmari (2), qui aula Pipini regis, ubi per aliquot tempus versatus fuerat, relictâ patrimonium Lirense suum repetiit, ibique monasterium construxit : quod a. 870 Carolo Calvo in divisione regni Lothariensis adscriptum (3), ac postea irruentibus Normannis deletum videmus (4). *Ledo* Gothicum creditur vocabulum, fluxum maris significans. In Liræ oppidi vicinio supersunt reliquiæ viæ Romanæ, juxta quam variæ ex antiquitate res, quas 1700 florenorum pretio æstimarunt, inveniebantur (5).

Mierbeke (h. Meerbeke), locus pagi Ryensis ad majorem Nitham, ex dipl. Ansfridi a. 997, ut jam monuimus, notus (6).

Maclines (h. forte Quaet-Mechelen), locus situs in pagi Ryensis orientali parte, prope Tessenderlo Taxandriæ, in dipl. Henrici Imp. a. 1008 occurrens (7), a *Malinis* Brachbatensis pagi probe distinguendus.

(1) Miræi, *Notit. eccles.* c. 83.
(2) Molanus *Natales SS. Belg.* p. 219.
(3) Miræi *op. diplom.* I. 28.
(4) Grammayus, *Antiq. Antw.* p. 33.
(5) *Mémoires de l'Acad. de Brux.* Tom. IV, p. 418.
(6) *Chron. Gottw.* s. v. Ryen.
(7) Miræi, Codex donat. piar. c. 43.

Odlobolo (h. Osterloo), locus ad Nitham majorem, Ultrajectensi episc. ab Ansfrido nobili quodam viro a. 997 traditus (1).

Olmeremuthen (h. Orderen), ad quem locum jus decimarum St. Michaëlis Antwerpiensium terminabatur, quum eum Henricus Marchio a. 1008 Balderico Leod. episc. largiretur (2).

Prepusdare, prorsus ignotum locum Des Roches V. cl. exhibet, cum Winlindecheim junctum in dipl. Rohingi Com. a. 725 dato, ubi Ryensi pagello tribuitur (3).

Scelleburd (h. Scelle) locus, cujus nomen situm ad *Scaldim* satis indicat, obvius est in testamento Everhardi Com. a. 837 (4) : « *Scellebured et omnes res nostras quæ jacent in pago* Tessandriæ (i. e. Ryensi, qui pars ipse Taxandriæ majoris) *donavimus.* »

Turminium, *Turnium* (h. Deurne), antiquum oppidum, in quo monasterium *Quercolodora* (5), prope Antwerpiam, ex dipl. Rohingi Antwerpiensis Comitis notum, quo varia dona St. Willebrordo tribuuntur (6). Ryensi pago absque dubio adscribendum est : nam inter Antwerpiam ac Winlindecheim interjacet, quæ utraque loca ad Ryensem pertinent.

(1) *Chron. Gottw.* s. v. Ryen.

(2) Miræi *cod. don. piar.* c. 43.

(3) Des Roches, *Mém. cour. en* 1770, p. 25.

(4) Miræi, l. l.

(5) Henschenius in *act. SS. Belg.* Tom. IV, p. 207.

(6) Miræi, *op. dipl. cod. don. piar.* c. 6, 7.

Funditus a Normannis deletum, abbatiaque ejus a. 1063 in oppidum Eynhamense translata est (1).

Westerloo (h. Westerloo) ad Nitham, *villa ruralis*, ut in vita St. Dymphæ (2), ubi de *Desertis* Taxandriæ denuo fit mentio, nuncupatur. Occurrit simul cum *Osterloo* in dipl. supra laud. Ansfridi, Ultrajectensi ecclesiæ dato (3).

Winlindecheima, *Winlindichin*, *Winelindecheime* (h. Wyneghem), villa prope Furgalare, in Ryensis pagi borealibus partibus, a Rolingo principe, jam a. 725 St. Willebrordo donata (4). Occurrit denuo in ejusdem sancti testamento (5).

Wilrika (h. Wilrik) Antwerpiensi urbi adjacens, simul cum Bocholt et Furnethe ab Henrico Imp. a. 1003 nominatur, ecclesiamque habuisse dicitur (6).

15. TAXANDRIA propria. Loca hæc :

Alfeim, *Alfein, Alphein* (h. Alphen), locus castello insignitus, in occidentali Taxandriâ, ab Engelberto quodam Franco-Salio St. Willebrordo Apostolo Ultrajectensi a. 710 donatus (7)... « *hoc est in pago Taxandria in loco nuncupante* Alphein *quod mihi paterno jure legitime provenit, hoc est, casatas undecim cum sala et curticulo meo, quem ad præsens habere visus sum cum mancipiis et omni peculio eorum...* » cujus iterum men-

(1) Grammayus, *Antiq. Antw.* 28.
(2) *Act. SS. Belgii* V. 317.
(3) *Chron. Gottw.* s. v. Ryen.
(4) Miræi *op. dipl.* I. 14.
(5) Ejusd. cod. don. piar. c. 6.
(6) Miræi *op. dipl.* I. 347.
(7) *Ibid.* III. 285.

tio est in testamento St. Willebrordi, in quo legitur : *Alphein in* IPSO *Taxandrio* (1) : ubi vocabulum « *ipso* » nostram sententiam de Taxandria *propria* firmare videtur.

ANGRISA in pago Taxandriæ, traditionibus Laurishamiensibus allatus (2), locus ceterum incognitus.

ARPENNIA, *Herpinna* (Herpen), villa ad Mosam in pago Taxandriæ, ut in libello est de translatione St. Petri et Marcellini, ab Eginhardo Caroli Magni ætate scripto (3).

BLADELLA, *Pladella* (h. Bladel), ad Digenæ fontes, locus palatio Merovingorum tempore ornatus (4). Diploma Caroli Simpl. reg. Francorum, Egmundam Theodorico Holl. Com. donans a. 913, hujus quoque mentionem injicit (5).

BOBANSCHOT, *Hocanschot* (h. Boeschot), inter hodierna loca, Brey et Hamont dicta, in orientali Taxandriâ jacet : de qua villa in testamento St. Willebrordi, utpote in Taxandria sita, atque a Berlinda quâdam Trajectensi ecclesiæ donata, sermo est (6).

BUDELIO, *Bodilio* (h. Buel), locus ad Duthmolæ dextram hærens, in pagi finibus, versus Mansuariorum comitatum; obvius in dipl. Caroli Mag. (7), quo varia ecclesiæ Aquis-

(1) MIRÆI *op. dipl.* l. l. I. 12.
(2) *Chron. Gottw.* s. v. Taxandria.
(3) L. IV, c. 18.
(4) GRAMMAYUS in Taxandria 23.
(5) MIRÆI *op. dipl.* I. 25.
(6) *Ibid.* l. 12.
(7) *Ibid.* l. l. I. 476.

granensi a. 779 concedit « *Budilio in Taxandria.* » *Eumdem* esse locum ac *Budiclar*, de quo in St. Trudonis vita agitur (1), ego nostrum arbitror.

Busloth (h. Boxtel), locus ad Duthmolæ ripas, cujus mentio in testamento S. Willebrordi (2); in quo ipse eumdem *Busloth in Taxandria* ab *Ansbaldo* sese accepisse fatetur.

Diosna (h. Diesen), alius est Taxandriæ locus, ab eodem Ansbaldo, Frisiorum apostolo traditus, cujus memoria superest in allato testamento... « *Diosna super fl. Digenâ.* »

Edinghem (h. Itteghem), in pago Taxandriæ, ad Nitham majorem, in Ottonis legitur (3) dipl. a. 774, quo varia bona monasterio St. Bavonis traduntur.

Empela (h. Empel), ad Duthmolæ Mosæque confluentes: cujus sermo est in tradit. Laurisham., utpote *villæ* pagi Taxandriæ, cujus ecclesia aquarum diluvio abluebatur (4).

Endeholt (h. Eynthout), ad Nitham, villa, quæ occurrit in vita St. Trudonis, sæc. XI. a Stephelino monacho descripta (5).

Forest, *Foresta*, *Forestum* (h. Vorst), a Diosta, boream versus haud longe remotum, ab adjacente nemore nuncupatum, plurimis in dipl. auditur : anno jam 877 in dipl. Ca-

(1) *Act. SS. Belgii.* V. 63.

(2) Miræi *op. dipl.* I. 12.

(3) *Ibid.* l. l. I. 49.

(4) *Chron. Gottw.* s. v. Taxandria.

(5) *Act. SS. Belgii.* V. 63.

roli Calvi (1), quo Nivellensi St. Gertrudis cœnobio confirmatione Zwentiboldi regis a. 897 (2); denique in divisione Nivellensium bonorum, in quâ ab Henrico Imp. a. 1059 *ecclesia* et *villa Forestum* Congregationis parti adscribitur (3).

Gela (h. Gheel s. Geel), villa quam, Antwerpiâ patrem fugiens, S. Dympha condidit (4).

Hamma (h. Hamme), locus ad Nithæ fontes, in vita St. Trudonis (5), ad Taxandriam pertinens, adducitur, ante a Pipino monasterio sancti illius traditus.

Hatale, locus cum Empele in tradit. Laurisham. occurrens (6), quem in loco *Hedel* ad Mosam sito, superstitem credunt.

Hilva-Ribeca (h. Hilverbeek), villa cujus nomen a fl. *Hulver*, ad quem sita est, ducendum. Jacet in Taxandriæ meditullio (7).

Hinnesloten (h. Eynschot), ad Digenam fl., obvius in sæpe laudato St. Willebrordi testamento (8).

Hunsele (h. Hoesden), locus, quem in *Hulsele* alii quæ-

(1) Miræi *op. dipl.* I. 502.

(2) *Ibid.* l. c. I. 503.

(3) *Ibid.* l. c. I. 510.

(4) *Act. SS. Belg.* V. 314, 326.

(5) *Ibid.* II. 10.

(6) *Chron. Gottw.* s. v. Taxandria.

(7) Valesius *Notit. Galliar.* s. v. *Hilva-Ribeca.*

(8) Miræi *op. dipl.* I. 12.

runt, sed quem nos in ipsis tradit. Laurisham., in quibus occurrit, ad Mosam positum (1), vico *Hoesden* vindicamus.

Martfelde (H. Meerfelthoven. Mereshoven), *villa in pago Debsandara* legitur in laud. tradit. Laurish. (2), quæ inter Bladellam et Diostam, ad Duthmolam, in latere sinistro jacet. *Mallum* ibi publicum celebratum fuisse ex ipso vocabulo credideris.

Norderwik, *Norderwic* (h. Noordwich), ad majoris Nithæ dextrum seu boreale latus, ut ipso nomine docemur. In dipl. Ottonis a. 974, quo varia bona St. Bavonis ecclesiæ restituuntur, legitur (3) : « *In pago Tessandriæ Norderwik.* »

Ochinsela, *Ekinsela, fiscus regius,* in vita St. Trudonis allatus (4), cujus nemo facile hodie invenerit situm.

Ortina, *Ortinon* (h. Orten), cum Empele in trad. Laurish. ad Mosam recensetur (5).

Palati (h. Neer-Peelt), cum Martfelde in trad. Laurisham. legitur. Fuere autem duo hujus nominis loca, *Peelt superior* et *inferior;* Besselius v. c. (6) hunc *inferiorem* esse credit.

Pieplo (h. Poppel) locus inter cætera Taxandriæ a St.

(1) *Chron. Gottw.* l. l.

(2) *Ibid.* l. l.

(3) Miræi *op. dipl.* I. 49.

(4) *Act. SS. Belg.* V. 43.

(5) *Chron. Gottw.* s. v. Taxandria.

(6) *Id. ibid.*

Willebrordo in testamento (1) suo allatus, in orientali Taxandria situs.

Rosmala (h. Rosmalen), traditionibus itidem Laurisham. Taxandriæ adscriptus (2), juxta Mosam fl. prope Empelam jacet.

Tessenderloo, *Tessenderlo* locus, quem Des Roches v. c. in « *Taxandrio loco* » Marcellini, de Francis loquentis, præsumit reperiundum (3).

Suchta (h. Puetandael), obvius in vita St. Trudonis (4).

Thoroldi sylva (h. Turnhout), abbatiæ St. Bavonis a Ludovico Pio donatur (5).

Wadradog (h. Wedert) villa, in testamento St. Willebrordi designata « *Wadradog in Taxandro super fl. Duthmola* (6); » quam villam nec *Witrich* esse Besselii (7), nec *Werd* Des Rochii (8), sed Guicciardini (9) *Wedert* credimus, et vocis sono et loci situ ducti.

Waterloe (h. Waerle), super fl. Duthmolam in Taxandria; quem locum tradidit Angilbaldus Ultrajectensibus episcopis (10).

(1) Miræi *op. dipl.* I. 12.
(2) *Chron. Gottw.* l. l.
(3) *Mém. cour.* en 1770 p. 35.
(4) *Act. SS. Belg.* V. 63.
(5) Grammatus, *Antiq. Brabant.* p. 40.
(6) Miræi *op. dipl.* I. 12.
(7) *Chron. Gottw.* s. v. Taxandria.
(8) *Mém. cour.* en 1770 p. 35.
(9) Carte géograph. du Brabant.
(10) Heda, *Hist. episc. Ultraj.* p. 28.

CAPUT IV.

PAGUS MAJOR,

MASGOVIA.

Nomen et fines; loca varia Cis-Mosanæ partis.

§ 16. Pagus ad orientem ultimus diversis *nominibus* gaudebat : *Masao, Maso, Masago, Masagobbi, Moselant, Mosano, Masan, Masgau, pagus Mosariorum, Moselandensis.* Nomen, dubio procul, a Mosâ fl. et voce *gau* ducendum.

Utraque in Mosæ ripa Mosariorum pagum fuisse situm, inque divisione Lothariensis regni a. 870 in partes duas distributum, inter omnes constat. *Limitibus* designandis nulla difficultas; unde eo magis miramur doctissimorum virorum errores : *Wastelinus* in duas eum partes divisum fuisse ait (1), in *superiorem* et *inferiorem*, utrique limitem assignat *Rurmondense oppidum* hodiernum, ad Ruræ ostia situm. Cum quo consentit *Des Roches* (2), sine argumento suo allato, *Valesium* forte secutus, ut ipse prudenter de sese fatetur *Besselius* (3). *Dewez* v. c. (4) priorum sententiam ambabus amplexus, hæc injungit : « *Il* (le pays de Masgau) *étoit divisé en haut et en bas : la partie haute* MASAU SUPERIOR, *s'étendoit de Viset à Ruremonde, et la partie basse*,

(1) *Descript. de la Gaule Belg.* s. v. Masgau.

(2) DES ROCHES *Mémoire couronné* en 1770, s. v. Masgau.

(3) *Chron. Gottw.* s. v. Masgau.

(4) *Dictionn. géogr.* s. v. Masgau.

Masau subterior, *de Ruremonde à Bois-le-Duc : la partie qui est à la droite de la Meuse échut au roi Louis; celle qui est à gauche, au roi Charles.* » Errore captos omnes credimus : cujus fontes sine dubio habuêre annales Bretinianos; quibus vero, si quis cæteros inspicere voluerit, omnes (ad hunc annum scribentes) obloquuntur : Mosa terminus est *Masgoviæ superioris* et *inferioris;* ita ut littus occidentale Carolo Calvo adscriberetur, nomine *Masgoviæ inferioris.*

17. Locorum quæ ad nos spectant, id est *cismosanorum, descriptio.*

Blarikge (B. Blerik), ad Mosam in boreâ. Noscitur ex summariis Eberhardi monachi Fuldensis, in descriptione bonorum hujusdem monasterii a. 800 institutâ (1) : « *Ego Albericus de pago Masao tradidi St. Bonifacio, hoc est quod trado St. Bonifacio in pago Masau juxta fl. More, in villa nomine Blarikge, domum scilicet unam, cum casis et curte magna ac suis adjacentiis.* » Creditur Blarikge in arcium numero fuisse in Mosæ ripis a Juliano Imp. exstructarum; quia nempe locus in tabula Peutingeriana, in describenda via militari ad Attuacum ducente, ponitur (2).

Castellum Menapiorum, *Castellum* (h. Kessel) oppidulum antiquitate præstans; ab ætate Romana Menapiorum metropolis secundum Ptolemæum (3). Arx ipsa Toxandrorum quoque Francorumque tempore stabat spectabilis, quam Julia-

(1) Miræi *opera diplom.* III. 5.

(2) *Tab. Peuting.* ap. Bouquet, *Recueil des Hist. de France.* I.—Am. Marcell. L. XVII. c. 2.

(3) Ptolem. Geogr. L. II, c. 9. ed. Lugd. Batav. 1681.

nus Imp. contra hostium vim circumvallationibus munivit (1): quæ, cum in Mosæ sinistro littore jaceret, a nobis Mosano pago adscribebatur.

Cevelum, castellum in sinistra Mosæ ripa, quod item Tab. Peuting. exhibet, jam dudum deperditum.

Eika, *Echa* (Eik s. Alden-Eik), juxta citata loca, sed in meridiem magis jacens, monast. erat Normannor. ætate, ab Adelardo ipsiusque uxore Grimmara a. 730 erectum (2); occurrit etiam in tab. divisionis regni Lothariensis (3). Post Normannorum incursiones in collegium canonicorum mutabatur, atque a Conrado Lotharingiæ duce a. 944, postulante Ottone Imp., Faraberto Leod. episc. dabatur his verbis: « *Eiche vocatum super fl. Votra in pago Hulsce* (4). » *Eike* denuo ab Henrico II Imp. a. 1006 Notgero Leod. episc. confirmabatur (5).

Maseca (Maseyk), jam ab a. 902 noscitur, in quem locum Franco episc. divarum Harluindis et Relindis corpora transtulit (6). . . « *ad locum honestiorem Masecæ.* » Otto Imp. eumdem divo Lamberto Leod. episc. a. 949 (7) dedit; denique ejus mentio fit in dipl. Reginardi episc. Leod. a. 1034 (8).

(1) A. Marcell. L. XVII. c. 2. — Bucherius *Belgic. Rom.* L. X. p. 315.

(2) Wastelain, *Descript. de la Gaule Belg.* p. 204.

(3) Miræi *op. dipl.* I. 28.

(4) *Ibid.* I. 258.

(5) *Ibid.* l. l. III. 9.

(6) *Hist. Leod. compend. ad.* a. 902.

(7) *Ibid.* l. l. ad a. 949.

(8) Miræi *op. dipl.* III. 300.

THORNA, *Thornense monasterium* (h. Torn), monasterium erat in Mosæ fl. ripâ supra *Eyke*, ab Hilsunda Com. de Stryen a. 992 fundatum (1), ab Henrico II Imp., qui eidem monast. a. 1007 ecclesias loci *Britte*, *Chameritte* et *Avesate*, hujusdem fortasse pagi, adscripsit, adauctum (2).

TRAJECTUM, *Trajecta*, *Tracetis*, *Trejectum superius*, *St. Servasii monasterium*, *Villaburg* (h. Maastricht); in sinistra Mosæ ripa, oppidum, monasterio celebre; cui Bucherius antiquissimam tribuit originem, ad a. 11 post Christum referendam (3). Alii ab *Obertricht* (ut Alemanni Trajectum nuncupant) *Obtricense illud* volunt fuisse Ammiani oppidum (4): perperam, ut videtur: nam ipsum ille *Obtricense* cum *Tricesimæ* oppido (de quo paullo superius loquebatur, et quod haud dubie a Romanorum colonia *Trigesimæ legionis* nomen habet), confundebat. Nobis vero urbis primordia non ante IV sæculum veris testimoniis probari videntur. Annales enim St. Aravasium s. Servasium, præcognita Tungrorum urbis ruinâ, Trajectum confugisse a. 384 referunt, ubi locus noster a Gregorio Turonensi (5) *urbs* appellatur; ante hoc vero tempus nulla *urbis* mentio nobis quidem occurrit. Anno 532 Trajecti *Mallum* fuisse celebratum discimus ex capitularibus Childeberti regis (6) his verbis : « *Similiter in*

(1) MIRÆI *op. dipl.* l. l. I. 53.

(2) *Ibid.* l. l. I. 550.

(3) BUCHERIUS Belg. Rom. L. I. c. 17, N. 12.

(4) A. MARCELLINUS L. XVII, c. 2. XX. 20.

(5) Hist. Francor. L. II. c. 15.

(6) Ap. BALUZIUM *cap. reg. Franc.* I. p. 17. Si quis in animo habet, veriora discere de *malli* significatione, ille adeat FR. J. DUMBECKII disputationem in Geog. Pagor. supra laud. p. 80—85.

Trajecto convenit nobis Campo. » Ad. a. 739 *Castrum* ab annalib. Fontenallensis monachi (1), Wandonis exilium describentis, vocatur Trajectum : « *Castrum quod antiquo gentium illarum vocabulo Viltaburg i. e. oppidum Wiltorum vocabatur.* » Monasterium vero Trajectense, a St. Monulpho in defuncti St. Servasii honorem consecratum est; quod in divisione Lothariensis regni Car. Calvo abscribebatur (2). Postea urbs ab Arnoldo, Germaniæ et Lotharingiæ rege, Radbodo Trevirensi episc. a. 889 traditur ... « *Trajecta in Comitatu Moselant* (3). » In confirmatione ejusdem donationis, a Zwentiboldo rege facta, *Hasbanniæ* abscribitur (4). Sed cum *donatio ipsa* urbem *Mosagoviæ* adscribat, erratum nos esse credimus in *confirmatione*, propterea quod eam vel Caroli Simplicis diploma, quo a. 919 Trajectensis abbatia Trevirensibus episc. restituitur (5), et Ottonis confirmatio ejus a. 945 facta (6); etiam Henrici Imp. diploma, quo a. 1006 Notgero ipsiusque successoribus Leodiensibus donatur (7), cum aliis multis, expresse huic nostro pago accensent. Trajectum oppidum simul et monasterium Normannorum flammis a. 882 maximam partem devastabantur (8) : ut tamen B. Monulphi ecclesia, quæ simul ad antiquissima Merovingorum monu-

(1) *Annal. Fontenal. Monach.* ad a. 739 ap. Bouquet. *Recueil des Hist. de France.* II. 662 col. 659.

(2) *Annal. Bretiniani ad a.* 1870.—Duchesne, l. c. VII, p. 109.

(3) Brouweri *Annal. Trevir.* T. I, L. IX, p. 448.—Miræi *op. dipl.* I. 252.

(4) Miræi *op. dipl.* I. 252.

(5) *Ibid.* l. l. I. 255.

(6) *Ibid.* l. l. I. 259.

(7) *Ibid.* l. l. III. 11.

(8) Nominandi in hunc locum omnes et quique Annalium conditores sunt ad a. 882 scribentes.

menta pertinet, sarta maneret. Exstat etiamnum antiquum B. Virginis templum, quod paganorum *fanum* fuisse asserunt incolæ; inque oppidi vicinio rudera etiam castelli a Cæsare, ut creditur, conditi.

Walare (h. Wilre), locus ad Mosam, huic pago propterea adscribendus, quod cum Blaricge in eodem occurrat monumento (1).

(1) Miræi *op. dipl.* III. 5.

CAPUT V.

PAGUS MAJOR.

BRACHBATENSIS.

Nomina varia; situs, limites et fines; in comitatus divisio; locorum singulorum notitia.

§ 18. Pagus hic omnium nostrorum non maximus quidem, sed villarum, oppidorum, locorumque aliorum frequentiâ ornatissimus, his nominibus insignitur :

Brachbancisia, *Brachbantum*, *Bracbantum*, *Bratuspantum*, *Bribant*, *Brairibant*, *Bracopantus*, *Braca*, *Bracbanti*, *Bracbati*, *Burbanti*, *Pagus Bracbatensis*, *Brachbatensis*, *Brabantorum*, *Bracantorum*, *Bratuspantium*.

Brachbatensis nomen nonnulli (1) ab urbe quâdam *Bratuspantium*, e Cæsaris Commentariis notâ (2), Bellovacorum capite, deducunt; cujus conjecturæ hoc proferunt argumentum : nostrum nempe pagum, aiunt, vel *Bratuspantium* in antiquis monumentis vocari; porro Bellovacorum parte devictâ, incolarum plurimos huc refugisse, pagumque a *sua* metropoli nominasse. Alii (3) a *Brakele*, vico comitatûs Eynhamensis, qui comitatus totus pars Brachbat. pagi erat, nomen

(1) Pont. Heuterus *de Veter. Belg.* L. II.

(2) *De Bello Gall.* L. II, c. 15.

(3) E. gr. Lindanus, Meyerus, aliique, citante Blauwio. l. c.

sortitum volunt. Illorum sententia nullis historiæ argumentis nititur : Brakele vero vicus nomen ex iisdem forte fontibus habuit, ac ipse pagus, cujus jam etymon explicabimus : totus nempe pagus *Carbonariâ silvâ* quondam obtegebatur paludibusque, ut hinc inde vel hodie est, præsertim juxta Dyliæ fl. decursum, ubi magni tractus pratorum conspicui, refertus fuit. *Bruch, Brac* nemorosum significat (1); *Bant* s. *Band*, idem ac *Bannus*, terram indicat limitatam i. e. *pagum* : unde compositum ex duabus vocibus habemus nomen, quod audit *pagum et silvis s. nemoribus obtectum, aquisque et paludibus hinc inde fractum.*

19. Boreales pagi Brachbatensis *fines* iidem sunt ac Taxandriæ meridionales : *Rupela* nempe, *Dylia* ac *Tamera* fll.; ad occidentem *Scaldis* fl. (quo ab *Ottoniâ* et Menapisco pagis separatur); a meridie *Hanagavia*; ab oriente *Hasbanniæ* pagus ; quemadmodum eum in charta nostra geographica depingebamus, quam vide.

Pagus integer, non exiguæ sane extensionis, in divisione regni Lothariensis, a. 870 facta, Carolo Calvo adsignabatur, in *quatuor comitatus* (*) divisus (2); qui erant, ut egregie *Des Rochius* exposuit (3), *Lovaniensis com.*, *Brachbatensis borealis*, *Einhamensis* et *Brachbatensis meridionalis* (Roman pays, ou Wallon-Brabant).

(*) Hos vero *comitatus* eodem jure *subpagos* dixeris (unicuique enim pago *comes* præfuit); quorum vero fines et limites, tacentibus in universum Annalibus, delineare non audeo.

(1) Vide Dumbeckii *Geogr. Pag.* p. 28 sq. ac circa vocem *Bant* conf. Schilteri Thes. Teut. T. III. s. v.

(2) Miræi *op. dipl.* T. I. p. 28.

(3) *Epit. hist. Belg.* L. IV, c. 1, Tom. I, p. 191.

Gandavensis quoque pagus in nostro olim continebatur; sed jam ab Ottone Imp. ab eo segregabatur (1).

Wastelinus (2) Fredegardum, de SENONAGO pago locutum (3), huc trahit, atque propter vocis quandam similitudinem pagum hunc a *Senna* fl., Bruxellas percurrente, nuncupatum credens, illum ipsum pagum nostro subdit; male : nam si quis Fredegardum bene intellexerit, facile videbit, ipsum non de nostro pago seu vicinitate regionum nostrarum disseruisse, sed *Sennonensem agrum (les environs de Sens)* descripsisse, qui, quod unicuique notum, in Gallia est.

20. *Locorum* BRACHBATENSIS PAGI *descriptio :*

AFFLIGHEMIUM, *Haffinghem* (h. Afflighem), monasterium S. Benedicti, a Gerardo quodam nobili, cognomento Nigro, ejusque sociis a. 1083 ædificatum (4), ab Henrico III Brachbatensi confirmatum (5), per Cameracensem episc. a. 1086 consecratum (6) : in cujus diplomate legitur : « *locus erat ab antiquis appellatus Affligheim, habitatio saltuosa et deserta.* » Quod superest, locus in Teneræ fl. ripâ sedet.

ALEMIUM (h. Helligny), villa Rodenacum inter ac Teneram fl.; in recensione possessionum Elnonensis Abb. a Paschali II Pont. a. 1007 facta inter alia Brachbatensis pagi loca enumeratur (7).

(1) Cfr. cap. nostrum secundum.

(2) *Descript. de la Gaule Belg.* p. 455.

(3) Apud DUCHESNE, l. c. L. I, p. 754.

(4) MIRÆI *Origines Benedictinæ*, p. 293.

(5) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 73.

(6) *Ibid.* T. III. 306.

(7) *Ibid.* T. II. 1151.

ALOSTUM, *Alosta, Alost* (h. Alost), castrum ac illustre clientelis ac ditione prædium (cujus domini comites fuêre Gandavenses) in dextrâ Tenaræ ripâ situm : in dipl. a. 870 a Rodulpho Com. dato *castri* nomine insignitum (1); a 1088 a Lothario Abbate Hasmoniensi, Gisleberto, Balduini Gandavensis filio, venditum (2).

Originem loci, quam a summâ antiquitate repetunt, nos quidem juniorem esse censemus. *Meyerus* enim (3) « *Legimus*, inquit, *in Belgarum historiâ, Gandavum occupatum fuisse a Vandalis, Caroci principis ductu, anno circiter* 411, *atque contra Vandalos Gandavum tenentes a Gothis in Nervios tunc imperantibus, Aldenardum et Alostum Castella fuisse exstructa.* » *Grammayus* (4) ipse, nusquam fatetur, quam in supra allato Rodulphi diplomate, sese vetustiorem Alosti originem reperiisse, neque altius esse descendendum autumat. Cæterum ante Einhamensis castelli eversionem, a. 1046 factam, famam multum laudatam locus noster non obtinuit.

ANDERLECHT (h. Anderlicht), locus in Bruxellarum viciniis situs. A Gerardo Cameracensi episc. a. 1046 Abbatiæ S. Andreæ donantur ... *mansi duo apud Anderlecht in pago Brachbatensi* (5). Occurrit etiam in contractu Fbleardi et Renegildis ad a. 1057 (6).

ANUINIUM (h. Anvin), locus haud procul ab Alemio, ad

(1) Cfr. SANDERUS *in Flandria illustrata*, T. II. 495.
(2) MIRÆI *op. dipl.* Tom. III, p. 18. 374.
(3) MEYERI *Annal. Flandrens.* a. 489.
(4) GRAMMAYUS *Flandriæ antiquit.* p. 33.
(5) MIRÆI *opera dipl.* T. I, p. 55.
(6) *Ibid.* l. l. I. 662.

Teneræ fl. sinistram : itidem in possessionum Abbat. Elnonensis recensione a Paschali P. M. a. 1007 scripta legitur (1).

Antonium (h. Antoing), monasterium virginum, in dextrâ Scaldis ripâ, Tornacum inter et Moritaniam jacens, in divisione regni Lothariensis a. 870 Caroli Calvi partibus adscribitur (2). Folcuinus monasterium a. 900 in collegiatam eccl. Lobiensibus monachis submissam, mutatum profert (3) : unde vicus postea a monasterio, ut fieri solebat, originem ducens inque dies crescens, temporum decursu in oppidum castro munitum augebatur.

Asca, *Esca, Ascum* (h. Asche), locus juxta Alostum, castro antiquitûs, ut in vitâ D. Berlindis, ab Herigero Lobbiensi Abb. narratur, munitus (4); quod his docemur verbis : « *fuit autem possessio ejus* (Witgeri scilicet, D. Berlindis patris), *Huniberg et Ascum, Castella duo, quorum alterum, nempe Ascum, ab Hunnis destructum, alterum vero naturâ munitum, militumque copiâ defensum, inexpugnabile perstitit.* » Ab Henrico III Brabantiæ XX mansi in eo loco a. 1086 Affligheniensi cœnobio traduntur (5). Locus cæterum martyrio D. Livini (6) atque reliquiis viæ Romanæ, a Bavaco in Batavos ductæ, clarus est (7).

(1) Miræi. *Opera dipl.* T. II, p. 1151.

(2) *Ibid.* l. l. T. I, p. 28.

(3) Vide in Spicilegio d'Acherii, T. II, p. 735.

(4) *Acta SS. ord. St. Bened.* p. I, sæc. III, p. 16.

(5) Miræi. *Opera dipl.* Tom. I, p. 73.

(6) *Acta SS. Belg.* T. III, p. 110.

(7) *Mémoires de l'Académie de Bruxelles*, t. IV, p. 438.

BACEROTH, *Baberoth* (h. Bachere), ad dextrum Scaldis fl. Marsanam inter et Lapinghem situs, locus jam ab a. 822 a Ludovico Pio, Francorum rege, monasterio D. Amandi s. Elnonensi datus, ac Brachbatensi pago adscriptus (1); denuo in Paschalis P. M. recensione bonorum Abbatiæ ipsius memoratur (2).

BADENGHEM (h. Badeghem), locus ad Scaldim fl., haud procul a Gandâ; numeratur inter possessiones D. Bavonis monasterii, ab Othelboldo Abb. a. 1030 recensitas (3).

BAMINGEHEM (h. Bavinghem), villa cum ecclesia, priori ab ortu locata, diplomate Ottonis II Imp. D. Bavonis monasterio a. 997 tradita (4).

BASCIA (h. Bassy), villa juxta Nivellam, patria Godofridi Bullionensis, et ex ejusdem diplom. a. 1094 nota (5).

BASLEIS (h. Baslet), villa cum ecclesiâ, priori ad meridiem sita, in divisione bonorum Nivellensis cœnobii, ab Henrico IV Imp. a. 1095 institutâ, in quâ congregationi annumeratur (6), occurrit.

BIERBECK, juxta Lovanium, *Baronatûs* titulo clarum. Raginerus et Henricus comites de *Bierbeck* alter anno jam 1015, alter a. 1075 in diplomatibus Affflighemii servatis, occurrunt (7).

(1) *Acta SS. ord. St. Bened.* sæc. IV, p. 66.
(2) MIRÆI *op. dipl.* II, p. 1157.
(3) *Ibid.* l. l. I, p. 349.
(4) MIRÆI *Donationes Belgicæ*, c. 14.
(5) MIRÆI *op. dipl.*, I, p. 76.
(6) *Ibid.* l. l. I, p. 510.
(7) GRAMMAYUS *in antiq. Lovan.* p. 6.

Bullarium, *Bolarium*, Bollaria (h. Baulers), villa juxta Nivellas, inter Basleis et Basciam, quam a. 877 diploma Caroli Calvi Nivellensi cœnobio donat . . . « *villam Gaugiaco in comitatu Brachbatinseæ, Liniacum in eodem comitatu, et Wambacen, Tobacen, Iturnam, Rosbacem, Hannuariam, Bolarium* » (1); quæ singula a Zwentiboldo rege a. 897 confirmantur (2). Nobiles de *Baulers* inter diplomatum testes sæpius audiuntur.

Bruchsella, *Bruolisella, Brosella, Brusola, Brussela, Brusellia, Bruxellia, Bruicella,* (h. Bruxelles, Brussel) in utroque Sennæ fl. littore condita, sæculo tantum XI urbis fastigium obtinuit. Hoc enim hodiernæ Brabantiæ caput, ante illud tempus non nisi villa fuit, cum parvula ecclesia seu *cella*, ut tunc temporis vocabatur, a D. Gaugerico, qui ibi incolas ad meliorem frugem cultioris vitæ adducturus mortem passus est, exstructa (3). Nomen si quæras, hoc equidem suppeditabo. Carbonaria silva cum paludibus suis sine dubio ad Dyliam usque erat protensa, parum habitata, ut potius in media fere silva, inque nemorosa regione illa *cella* esset posita; unde ab illa ipsa *paludosa* natura (Bruoch) atque *cella* hâc (celle s. selle) nomen villa adipisceretur (4). Nomen *villæ* sæculo quoque X retinuerat, ut est in dipl. quodam Ottonis Imp. Nivellensibus a. 966 dato « *stadium unum in villa Brucsella super fluvium Brania* (5); quæ tamen *villa regia* videtur fuisse, ubi Imperatorem a. 976 habitasse (6) ac pala-

(1) Miræi *op. dipl.* I, p. 502.
(2) *Ibid.* l. l. I. 503.
(3) Cfr. *Vita D. Gudiliæ in actis SS. Belgii*, T. V, T. 715.
(4) Cfr. supra p. 81 et nota I.
(5) Miræi *op. dipl.* I, p. 654.
(6) *Ibid.* l. l I, p. 344.

tium a. 977 a Carolo ædificatum esse constat (1). Ab anno tamen 1040 sub Lamberto Brabantiæ, seu Lovaniensi comite clarior evadebat, muris cincta turribusque XXIV et quod excurrit, ac portis VIII munita; castro etiam Carolino et D. Gaugerici ecclesiâ, ut non minus ipsâmet D. Gudiliæ illius splendidissimâ basilicâ, ab eodem Lamberto com. ædificatâ, insignis (2). Cæterum villa hoc tempore ditionis Cameracensis ecclesiæ (fuit 3).

Bulceis (h. forte Bousseval), villa erat, cum ecclesia, in sinistrâ Dyliæ ripâ, haud longe a Genapiâ sita : ab Henrico IV Imp. in divisione Nivellensium bonorum, congregationi a. 1059 donata (4).

Cambrona, *Cambrion* (h. Cambron), prædium ad Teneræ fontes, jam a Pipino M. D. a. 750 monasterio D. Dionysii juxta Parisios oblatum (5), eidemque a Carolo M. confirmatum (6). Denuo ejusdem mentio fit in præcepto commutationis quorumdam prædiorum, a Carolo Calvo a. 861 edito, ubi « *in pago Brachbatinse, in loco, qui appellatur Camberona* » legitur (7).

Cella (h. Celle), monasteriolum in meridionali Brachbantiæ parte, Nivellæ vicinum. Chartâ Gerardi Camer. ep. a. 1090

(1) Grammaye *Antiq. Bruxel.* p. 1. — Acta SS. Belgii, T. V, p. 716.
(2) Grammaye l. l. — *Acta SS. Belgii,* ibid. p. 718.
(3) Cfr. Chron. Camerac. p. 55 ed. Colvenarii.
(4) Miræi *op. dipl.* I, p. 510.
(5) *Falibianus in prob. hist. abb.* St. Dionysii.
(6) Mabillon *de re diplom.* p. 497.
(7) *Ibid.* l. VI, c. 94.

subjicitur Crispiniensi abbatiæ » *St. Trinitatis quæ sita est inter duas Hanas* (fluviolos nempe) *vivam scilicet et mortuam* » (1).

CONDATUM, *Condate* (h. Condé), ad Scaldis Hanæque confluentes, unde nomen (si Deo placet), ducendum volunt. Monasterium erat virginum, in divisione regni apud Marsanam acta Carolo Calvo tributum (2). Hunc nostrum locum in *Condoth* illo, ad Scaldim sito, ubi Normanni a. 883 habuere domicilia, alii quærunt (3). Post illos exactos locus forte ipse ab incolis frequentari cœpit, et monasterium illud canonicorum collegio tradebatur (4).

CORTENBERG (h. Cortenberg), abbatia Benedictinorum Bruxellas inter Lovaniumque intermedia, privilegiis posterioribus sæculis omnibus numeris clara, sed circa finem nostri sæculi vix instituta (5).

CRAINHEM (h. Crainhem), locus juxta Bruxellas, ditionis monasterii D. Bavonis, ut in confirmatione videmus bonorum hujusdem abbatiæ a D. Henrico Imp. a. 1003 facta (6) : in recensione ab Othelboldo Abb. a. 1030 instituta... « *in pago Brachbatinse Merem et* CRAINHEM » (7) ponitur.

CAMBRUGGA (h. Crombrugen), a Ludovico Transmarino

(1) MIRÆI *op. dipl.* T. II, p. 1139.
(2) *Ibid.* l. l. T. I, p. 28.
(3) *Chron. Saxonic. ed.* Gibson, p. 86.
(4) *Acta SS. Belgii*, T. V, p. 386.
(5) MIRÆI *op. dipl.*, T. I, p. 519.
(6) *Ibid.* l. l. T. I, p. 347.
(7) *Ibid.* l. l. T. I, p. 349.

Franc. rege inter possessiones D. Petri Gandavensis a. 950 recensetur « *Crombrugga in pago Brachbantinse* » (1).

Decla, locus incognitus, cujus mentio in Ludovici Pii confirmatione possessionum D. Amandis. Elnonensi monast. a. 622 facta, ubi « *Decla in pago Brachbatensi* » scribitur (2).

Dorp (h. Turneppe), villa in dextrâ ripâ Sennæ, supra Bruxellis in meridiem collocata, a Falcuino viro nobili Gemblacensi monast. a. 950 tradita « *Dorp in Braivibant* » (3).

Eiham, *Eenham, Iham* (h. Eename), oppidum olim et castellum munitissimum in Scaldis ripâ conditum, ut a Sigeberto Gemblacensi a. 1005 depingitur, quondam Eenhamensis totius comitatus metropolis, eaque adeo culta, ut annales eam *sedem primariam* ducatûs Lotharingiæ vocarent (4); quam vero a. 1033 Balduinus Barbatus com. Flandrensium, funditus destruxit (5); cujus tamen filius, patris facinus improbans, Eenhamensis comiti Herimano Godofridi filio, qui castelli jus dominii habuit, destructi loci pretium restituit, interque jacentis castelli rudera Benedictinorum Abbatiam a. 1063 erexit; unde vetus chronicon :

Anno milleno sexageno quoque terno
Claustrum fundatur per te Balduine Eenhamense (6).

(1) Miræi *op. dipl.* I, p. 260.

(2) Cfr. *Act. SS. ord. D. Benedic.* P. I, sæc. IV, p. 66.

(3) Miræi *op. dipl.* I. p. 141.

(4) Cfr. Sigebertum Gemblacensem ad a. 1005.—Balderici *Chronicum Camerac.* II, p. 45.

(5) Sigebert. Gemb. ad a. 1033.

(6) Miræi *op. dipl.* T. I, p. 151.

Cæterum monasterium alterum Godofredus Eenhamensis comes ejusque uxor Mathildis ædificavêre; tertium quoque et quartum ab Herimanno ipso condebantur (1). Balduini illud mon. variis privilegiis, imprimis Lietberti Camer. Episc. a. 1064 ornabatur (2), in cujus dipl. hæc leguntur : « *est in territorio Brachbatense locus, qui dicitur Eiham.* »

Eroldinghem, *Heldrighem* (h. Eldreghem), villa cum ecclesia, Alostum inter et Einhamum; occurrit in contractu Folcardi et Renechildis a. 1057 inito (3); quæ vero Gerardimontensi cœnobio a Manasse Camer. Episc. a. 1096 s. 1097 dabatur (4).

Erpe (quod hodienum antiquum servat nomen) castellum cum villa erat, ut in contractu Folcardi et Renechildis laudato legitur (5).

Filfurdum, *Fillevoort, Vulvrethem, Filfortia, Filfordia* (h. Vilvorde), juxta Bruxellas, boream versus. Locus hic jam a. 779 a Carolo M. Aquisgranensi D. Mariæ ecclesiæ tradebatur *(Filfurtum in Brachbanto)* (6), eique a Lothario a. 844 confirmabatur (7); postea vero, a. 947 Otto Imp. Caprimontensibus eum adscripsit (8), *Beginagio* (ut vocant) ab a. 1045 illustrem (9).

(1) *Chron. Camerac.* p. 264.
(2) Miræi *op. dipl.* T. I, p. 152.
(3) *Ibid.* l. l. T. I, p. 662.
(4) *Ibid.* l. l. T. I, p. 165.
(5) *Ibid.* l. l. T. I, p. 662.
(6) *Ibid.* l. l. T. I, p. 496.
(7) *Ibid.* l. l. T. I, p. 337.
(8) *Ibid.* l. l. T. I, p. 504.
(9) *Act. SS. Belg.* V, p. 99.

Flietersala (h. Vlierzeele), villa cum ecclesia, Gandavum inter et Alostum sita, jam a Carolo Calvo anno 864 D. Bavonis monast. Gandav. data (1), eique ab Ottone Imp. a. 976 confirmata (2), quæ postea ab Henrico Imp. inter possessiones monasterii recensebatur (*In pago Brachbanti villa Fliterzeel*) (3).

Forestensis Abbatia (h. Forest), haud procul a Bruxellis, meridiem versus jacens, sæc. nostro, anno nempe 1096, ab Ida, matre Godofredi Lothar. Ducis, fundata et Affligemiensibus adscripta (4).

Gavera (h. Gavere) in dextrâ Scaldis ripâ; cujus mentio in diplom. Gerardi Camer. Episc., abbatiam D. Andreæ in Gerardi Montem a. 1083 transferentis (5).

Gaugiaco, *Gaugiaca, Goiaca* (h. Goyk), villa in viciniis loci Dorp, Nivellensi D. Gertrudis cœnobio anno jam 877 a Carolo Calvo concessa (6); eidemque a. 897 a Zwentiboldo rege confirmata (7); in quo utroque diplom. pago Brachbatensi adscribitur; mox ab Henrico Imp. in divisione Nivellensium bonorum a. 1059 congregationi eorum relicta (8).

Genapia, *Ganapia* (h. Genappe), ad Dyliæ fontes et in

(1) Miræi *op. dipl.* I, p. 26.
(2) *Ibid.* I. l. I. 344.
(3) *Ibid.* l. l. I. 347.
(4) *Ibid.* l. l. I, p. 77.
(5) *Ibid.* l. l. I, p. 18.
(6) *Ibid.* l. l. I, p. 502.
(7) *Ibid.* l. l. I, p. 503.
(8) *Ibid.* l. l. I, p. 510.

Brachbatensis pagi orientalibus finibus sita, *allodium* a Frederico Lothar. Duce a. 1067 nominatur (1). In diplom. Idæ, Godofredi Bullionensis matris, a. 1096 Affligemiensi cœnobio traduntur mansi aliquot in *allodio et villa sua Genapia* (2).

Geraldimont, *Gerardi-mons, Gerardi-mont*, *Geralmont* (h. Geeraersberge, Grammont), ante ætatem, quam tractamus, castrum fuerat (3), sæc. XI oppidulum cum monasterio in Teneræ fl. ripis, quarto circiter ab Alosto lapide dissitum. Conditum fuit a. 1008, ut annales ferunt, a Balduino Montano Flandriæ ac Hanagaviæ Com. et a situ in colle, nomineque *Gerardi* cujusdam, a quo territorium maximâ ex parte emerat Flandriæ Comes, nuncupatum (4). Monasterium nostrum originem cœpit a monachis, quondam in Ticlivinii villâ habitantibus, post Normannorum eversiones hûc, ope Gerardi Camerac. Episc., consentiente Balduino. Com. a. 1081 translatis (5).

Germino (h. Grimmingen), locus in Teneræ ripis Niuwenhovum inter et Merrebechi, in Brachbatensis pagi meditullio, jacet, Elnonensi s. D. Amandi mon. prope Tornacum traditus, ut ex hujusdem bonorum recensione a Paschale P. M. a. 1007 instituta, patet (6).

Gizingarula (h. Gyzenzeele), villa, boream versus prope

(1) Miræi *op. dipl.* I, p. 663.
(2) Miræi *origin. Benedict.* p. 300.
(3) *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 273.
(4) Oudegherst, *Cap.* 42, *T. II*, *p.* 265, sqq.
(5) Miræi *orig. Benedic.* p. 348.
(6) Miræi *op. dipl.*, Tom. II, p. 1151

Flietersalam, quacum a. 864 a Carolo Calvo D. Bavonis mon. traditur (1); eidemque ab Ottone II Imp. a. 976 confirmatur (2), Brachbatensi pago utroque in dipl. adnumerata.

GRIMBERGA (h. Grimberge), forte locus idem ac castrum munitissimum *Hunibergæ* (quod quondam fuit ditionis patris D. Berlindis (3) ut plurimis videtur ex propinquitate loci Ascæ, juxta quem jacet, et ut nobis videtur, a crudelitate *(grim* s. *gram)* Hunnorum, qui post destructam Ascam vel nostrum oppugnavêre, cognominatus. Alii tamen Hunibergam in vico *Omberg* (omni tempore ignobili) superstitem credunt (4). Bertholdi de Grimbergen, fratris Hildebaldi Archiep. Colon., præfecti Caroli M., mentionem facit *Heda* (5). Nobiles de Grimbergâ sæpe quoque diplomatum testes audiuntur. Cæterum locus ipse inter possessiones abb. D. Bavonis ab Othelboldo abb. a. 1031 numeratur (6).

HALETRUT (h. Haltert), in sinistra Teneræ ripâ, locus, ubi ecclesiam parochialem et capitulum XII Canonic. in honorem D. Gaugerici a. 1046 fundavit Engelbertus, vir nobilis (7).

HAM, quæ hodie suum nomen retinet, villa et prædiolum inter Ascam et Affligheminm, ubi primum sepulcri honorem adeptâ est D. Gudilia, ut in ejusdem vitâ, in qua ipsius

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 26.

(2) *Ibid.* l. l., T. I p. 344.

(3) Cfr. *Vita D. Berlindis* ap. BOUQUET, *Recueil des histoir. de France*, T. III, p. 526. Vide *Ascam.*

(4) *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 267.

(5) *Histor. Episc. Ultraj.* p. 60. 62.

(6) MIRÆI *op. dipl.* T. I, p. 349.

(7) *Ibid* l. c. II. p. 811.

sæpe mentio occurrit, videndum (1) : pertinuit cæterum ad Cameracens. eccles., ut patet ex diplomate Gerardi episc., juxta quod a. 1046 *Geraldi-montensi* cœnobio traditur (2).

Hannuaria (h. Hannuyeres), inter Sennæ rivi fontes sita, quæ a. 877 a Carolo Calvo Nivellensi cœnobis donatur (3), eidemque a Zwentiboldo rege a. 897 confirmatur (4); denique ab Henrico in divisione Nivellensium bonorum a. 1059 Congregationi adscribitur (5).

Herlegona, locus omnino incognitus, qui inter cæteras Elnonensis s. D. Amandi mon. possessiones, ac in pago *Brachbatensi*, a Paschale P. M. in recensione bonorum hujusce abbatiæ a. 1007 refertur (6).

Herinias (h. Herines), in pago Brachbatensi *situs*, in eâdem recensione Paschalis P. M. nominatus (7). Inter *duos* enim qui hodie existunt, hunc nostrum esse credo, ad Scaldim jacentem.

Holthem, *Hautheim*, *Holta* (h. Houthem), juxta Flietersalam: villa antiqua, omnino tamen inculta, eo tempore, quo D. Bavonis mon. dabatur; sic etenim ex epistola discimus D. Livini ad Florbertum abbatem missa (8) ubi :

(1) Cfr. Duchesne, Tom. I, p. 656.—*Acta SS. Belgii*, Tom. V, p. 669 727.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 55.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 502.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 503.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1151.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1151.

(8) Cfr. *Act. SS. Belgii* Tom. II, p. 493.

Holtham villa gravis, quæ nescis reddere fructum,
Urticas, lappas, cur bene culta refers?

Cæterum ibi corpus D. Livini terræ mandatum comperimus (1), unde cellam habuisse eam conjicimus. Ablata vero a D. Bavonis monasterio, mox ab Ottone II ei reddebatur « *villa Holthem in pago Brachbatensi....* » (2); eidemque cum ecclesia et silvâ ab Henrico Imp. confirmabatur (3). Ultima tandem ipsius mentio a. 1057 in contractu Folcardi et Renechildis occurrit (4).

Hunnighem (h. Hundelghem), locus inter Gerardi-montense oppidum et Scaldim, a Gerardo Camerac. episc. Gerardimontensi cœnobio a. 1086 datus (5); cujus altare a Manasse episc. eidem cœnobio concedebatur (6).

Jetta (h. Jette s. Dileghem), monasteriolum juxta Bruxellas, in Carbonnaria silva; cujus fundatio a. 1095 approbatur et confirmatur a Gualthero Camerac. episcopo (7).

Idreghem (h. Eerdreghem), locus in Einhamensi seu Alostensi comitatu prope Holthem, a Manasse episc. Gerardimontensi cœnobio adscribitur (8).

(1) Cfr. *Act. SS. Belgii*, Tom. III, p. 119.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 244.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 347.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 663.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 18.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 165.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 954.

(8) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 165.

Isca (h. Ooverische), villa in Diliæ parte haud longe a Foresto, quam Ludovicus Pius Aginulfo hisce concessit verbis : » *in pago Brachbantense in villâ vocante* Isca *mansos VII inter vestitos et absas, cum mancipiis, terris arabilibus, pratis, silviolis ad eos justâ pertinentibus, vel aspicientibus* » (1).

Iturna, *Turna* (h. Itre), juxtâ Nivellas. Variis in diplom. occurrit, in quibus cum Gaugiaco et Hannuaria Nivellensi cœnobio traditur et confirmatur, inter quæ Caro liCalvi et Zwentiboldi regis diplomata libet adducere (2). Ab Henrico etiam imp. congregationi adscribitur (3).

Lapinghem (h. Leupeghem), villa in dextrâ Scaldis ripâ, prope Baceroth, ab Ottone II imp. D. Bavonis monasterio a. 976 confirmata (4).

Lede (h. Lede), villa in comitatu Alostensi ad Teneram, cum ipso Alostensi castro Gesliberto, Balduini Gandensis filio, a. 1088 vendita (5).

Liniacum, *Liniaca, Lennecha* (h. Lennik) villa inter Dorp et Gerardimontem, Nivellensi cœnobio a Carolo Calvo a. 877 data (6), quam eidem a. 897 Zwentiboldus rex confirmavit (7); et Henricus imp. congregationi postmodum tribuit (8).

(1) Ap. Martenium *in ampliss. collect. dipll.* Tom. II; coll. Bouquet, *Recueil des hist. de France*, Tom. VI, p. 574.

(2) Miræi *op. dipl.*, Tom. I, pp. 502, 503.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 344.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 74.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 502.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 503.

(8) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.

Lietheka (h. Lette), locus est prope Zellekam, D. Bavonis monasterio datus : quem eidem Henricus imp. a. 1003 confirmavit (1); quare et ejusdem mentio in Othelboldi Abb. recentione injicitur (2).

Lietsinis (h. Liessines), allodii nomen est, haud procul a Gerardi-monte siti, quod a Gerardo Camer. episc. a. 1089 suæ ecclesiæ tribuitur (3).

Lothusa, *Luthosa*, *Latosa*, *Locus* (h. Leuze), abbatia antiqua ac dives, quæ fundatorem B. Amandum habuit, ac D. Badilionis corpus servat (4). *Fiscus* tamen *regius* Caroli M. tempore videtur fuisse, ut fortasse monasterium in ipso fisco erectum esset; de qua re sic imperator statuit : « *Ad perficiendum autem in eo loco monasterium et ad congregandum cœnobium, suggerente sæpe fidele nostro Episcopo, ad easdem reliquias proprias, res nostras, id est fiscum nostrum, qui vocatur Lothusa in pago Brabant, cum omni integritate in perpetuitatem donamus, et in perpetuum perdurare Deo præstante jubemus* (5).

Hæc illa est abbatia, quæ in divisione Lothariensis regni a. 870 Carolo Calvo adscribitur (6); et quæ denique a. 959 Brunonis episc. operâ in collegiatam ecclesiam abiit (7).

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 347.

(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 349.

(3) Miræi *Notitia eccles.*, c. iii.

(4) *Chron. Camerac.*, p. 263.

(5) Cfr. *Vita B. Ludgeri* ap. Bouquet, *Recueil des historiens de France*, Tom. V, p. 450.

(6) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 28.

(7) Vid. Dewez v. cl. s. voce *Lothusa*.

menta cepit. Anno 910 a Carolo Simplici Stephano Leod. Episc. tradebatur (1); ad quem Episcopatum postea semper pertinuit. Notgerus, cui a. 1008 ab Henrico Imp. confirmabatur, monasterium ipsum in Canonicorum collegium commutavit (2).

Martinas, prædium illustre pagi Brachbatensis, hodie ignotum, in quo D. Emebertus condi voluit (3).

Masmines (h. Masmine), ad Scaldis dextrum, haud longe a Gizingarulâ; occurrit in recensione bonorum abbatiæ D. Bavonis ab Othelboldo factâ (4).

Materna (h. Materen), villa in Scaldis ripâ dextra inter Zwalmam et Baceroth, D. Petri Gandav. mon. ab Arnulpho Com. Flandrensium a. 998 donata (5).

Melbrouk (h. Melsbrouk), locus ad Sennæ cornu, Lovanio in occasum situs, cujus decimas Gualcherus Camerac. episc. Jettæ monasterio a. 1093 tradit (6).

Melin (h. Melin l'Evesque), locus prope Torincort, in Teneræ dextro latere, cum ecclesia, quam Blandiniensi Ludovicus Pius donavit « *in Breibant in loco Melin ecclesiam* (7); »

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 805.

(2) *Ibid.* l. l. Tom. III, 11.

(3) *Chron. Camerac.* P. I, c. 16.

(4) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 349.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 944.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 954.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 139.

quæ ecclesia postea a Lietberto Camerac. Episc. ad ecclesiam St. Sepulcri transferebatur (1).

Mera, *Merem*, *Meren* (h. Meer s. Mere, quem perperam in loco, h. Marie-Kerke dicto, Des Roches superesse credit), locus cum *capella* obvius in dipl., in quo initia conspicimus ecclesiæ D. Joannis Baptistæ Gandavensis (2); atque denuo in recensione possessionum abbatiæ D. Bavonis a. 1003 facta » *in Brachbatinse pago villa* Merem » (3) legitur.

Merebechi, *Merrebechi*, *Merbekæ*, *Mesrebechum* (h. Meerbeke), monasterium ad dextram Teneræ fl. ripam, quod exstructum volunt a parentibus D. Berlindis (4) atque Carolo Calvo a. 870 assignatum (5).

Mismal (h. Mesmal), locus in Lovanii vicinio atque Comitatu situs, qui a Reginardo Episc. Leod. D. Laurentii cœnob. pro parte a. 1034 adscribitur (6).

Moritania (h. Mostaigne), Antonium inter et Condatum loca, in Scaldis ripa castellum, ab Henrimanno Veromanduorum Com. a. 928 dirutum (7).

Mortizella *Mortesella* (h. Mortzeel), villa cum oratoriolo St. Salvatoris, juxta Alostum, ut in D. Gudiliæ vitâ describitur (8). Occurrit etiam inter possessiones D. Bavonis abbatiæ

(1) Miræi, *dipl. Belgica*, Tom. I, c. 35.
(2) *Opera dipl.* Miræi, Tom. IV, p. 347.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. I. p. 347.
(4) *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 268.
(5) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 28.
(6) *Ibid.* l. l Tom III, p. 300.
(7) Flodoardi chronic. ad a. 928.
(8) Ap. Duchesne, Tom. I, p. 656.

ab Othelboldo abb. a. 1030 recensitas (1). Oratorium ab hostibus vastatum Carolus M. instaurandum jussit (2).

Neonisio locus incognitus pagi Brachbatensis, qui simul cum *Baceroth* cæterisque in dipl. legitur Ludovici Pii, a quo B. Amandi monasterio a. 822 traditur (3).

Newehova, *Nieuwenhova* (h. Nieuwenhove), juxta Teneram fl., villa a Rothnacensibus monachis ecclesiæ Cameracensi pro reliquiis D. Hermelindis, ipsis ab illius ecclesiæ episcopo datis, concessa (4), a Lietberto episc. a. 1064 Cameracensi St. Sepulchri cœnobio data (5).

Distinguas hunc velim nostrum a Ninova *loco, qui vix sæc. XII stetit. Si quis enim ipsi cum Grammayo* (6) *antiquitatem sæculi V adscribere voluerit, certe absque historiæ monumentis faciet, quæ nullam ejus mentionem injiciunt. Cæterum hæc de hâc Ninova, quibus ex fontibus nescio, Bruzenius de la Martinière in Lexico Geog. refert, » Boudouin le Grand, seigneur d'Alost, ayant attaqué Amauri,* Sire de Ninove, *il fut défait et prisonnier par le seigneur de Ninove l'an* 1090 (7). »

Nivigella, *Nivialum*, *Nivellia*, *Niviella* (h. Nivelle), oppidum cum insigni monasterio (8), prope Genapiam et Basiam, pago Brachbatensi dipl. Henrici III Imp. a. 1041 ad-

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 349.

(2) Cfr. *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 261-676.

(3) Cfr. *Act. SS. ordinis D. Benedict.* P. I, sæc. IV, p. 66.

(4) *Chronic. Camerac.* 125.

(5) Miræi *dipl. Belg.* I. c. 55.

(6) Grammayus *antiq. Flandrens.* p. 45.

(7) Cfr. l. l. s. voce.

(8) De ipso vide *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 360.—*Vetus chron. Brabant.* ad. a. 1039.

scriptum (1); quod initia cepit ex illustri abbatia in silvestri loco ad Sennæ fontes ab Itta, Pipini Landensis uxore, a. 648 fundata (2). Ex illo tempore monasterium sepulcris principum erat destinatum, ubi Pipinus Landensis, Gertrudis ejus filia, Otto, ultimus Carolingorum, Lotharingiæ Dux, Lambertus Barbatus, Henricus I, Lambertus Baldericus, Henricus II et III quiescunt. (3) A Normannis irruentibus vastatum, ac de novo mox instauratum diploma exhibet Zwentiboldi regis, qui a. 897 possessiones omnes eidem confirmat (4). *Villa* ex monasterio orta, accrescente accolarum in dies numero, *Burgi* nomen a. 1059 accepit (5), ac jam a. 1075 per suos Scabinos lites decidit (6).

Okinghem (h. Okerghem), a. Manasse Camer. episc. Gerardimontensi cœnobio donatur (7); locus ad Teneram juxta Merebechiam versus boream situs.

Ondenghem (h. Oudeghem), allodium in Einhamensi territorio, ad Teneræ Scaldisque fll. confluentes, a Gerardo Camerac. episc. ecclesiæ suæ adscriptum (8).

Putian (h. forte Peuty), inter Filfurtum et Bruxellas; in

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I. p. 661.

(2) *Chron. D. Dionysii mon.* ap. Bouquet, *recueil des hist. de France*, Tom. XI, p. 423.

(3) Divæi *res Brabant.* p. 25.

(4) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 503.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 519.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 664.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 165.

(8) Miræi, *Notit. eccles.* c. 111.

dipl. supra laud. Ludovici Pii, immunitatis privilegia Gandavensi cœnobio donantis, occurrit (1).

RASSEGHEM (h. Rasseghem), supra Einhamensem abbatiam, allodium inter Scaldim et Teneram medium, cum loco *Lede* et ipso Alostensi castro in venditione Lotharii, abb. Hanonensis monasterii, Gisleberto Balduini filio, a. 1088 legitur (2).

ROSBACEN, *Rosebache, Robbeca* (h. Rosbeke, Rebeque), ad Sennæ fontes, Herinias inter et Hannuariam : locus, qui cum aliis plurimis a Carolo Calvo Nivellensi cœnobio donatus (3), eidem a Zwentiboldo rege a. 897 confirmatur (4); ac in Henrici Imp. divisione Nivellensium bonorum a. 1059 congregationi adscribitur (5).

ROTHNACE, *Rotnacum, Rotornacum, Rotenacum, Hrodnace* (Ronsen s. Renay s. Ernay), ad dextrum Scaldis, paullulum infra Lapingehem : monasterium erat a D. Amando in honorem apostolorum constructum, pervetustum ac opulentum, ut Baldericus in Chron. Camerac. memorat, juxta quem Indæ mon., Ludovico Pio moderante, ditionis fiebat (6).

SCANCIA (h. Scancen s. Ecaussines), ad Sennæ fontes, Nivellæ in meridiem, locus quondam a Childeberto rege abbatiæ

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 74.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 502.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 503.
(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.
(6) *Chron. Camerac.*, p. 264.

D. Dionysii datus, eidemque abb. a. 750 a Pipino Maj. Dom. restitutus (1); quæ singula Carolus M. a. 775 confirmat (2).

SANCTÆ, *Xanthæ, Xanethæ, Xantum* (h. Saintes), ubi D. Amelberga vitam degit, ac D. Renechildis martyrii palmam juxta aram St. Quintini est consecuta (3). Locus hic in vita D. Amelbergæ *oppidum* vocatur (4). Mentio fit in recensione bonorum Elnonensis abb. a Paschali P. M. a. 1007 facta (5) loci *Sein*, qui idem forti ac *Saintes* hodiernus. Nomen vero ab ipsis duabus illis *sanctis* ducebatur.

SCHOARDA (h. Schoon-arden), villa in confinio Gandavensis urbis, juxta Ondenghem, in dextra Scaldis ripa, inter possessiones D. Bavonis monast. ab Othelboldo abb. a. 1030 recensita (6).

SECURIACUM (h. Scorisse), haud longe a Rodenaco, villa in qua Ludovicus Pius a. 822 varios mansos abb. Elnonensi donavit (7); quæ etiam a. 1007 in bonorum recensione eidem abbatiæ adscriubntur (8).

SEEVERGHEM (h. Zeverghem), in sinistra Scaldis ripâ, juxta

(1) Cfr. FELIBIAN. *in probat. hist. D. Dionysii* ad a. 750, ap. BOUQUET, Tom. IV, p. 717.

(2) MABILLON *de re dipl.* p. 49.

(3) *Act. SS. Belg.* Tom. IV, p. 650.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. IV, p. 639.

(5) MIRÆI *op. dipl.* Tom. II, p. 1151.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 349.

(7) De hisce cfr. BOUQUET, *Recueil des hist. de France*, Tom. IV, p. 530.

(8) MIRÆI *op. dipl.* Tom. II, p. 1151.

Gandavum, limes erat bonorum ecclesiæ D. Joannis Gandavensis, ut jam superius adducebamus in loco *Merem* (1).

Sethleta, *Setteca*, *Selleca* (h. Zellik), haud longe ab Ascho castro; ab Ottone II D. Bavoni mon. a. 974 in Brachbatensi pago adscribitur (2) ac a. 1003 et 1030 in dipll. occurrit (3).

Sonegiæ, *Singeia*, *Sonefia*, *Sogniacum*, *Sunniacum* (h. Soignies), ad meridionales Brachbantiæ partes, inter Cambrionem et Scanciam, monasterium vetustum, a D. Vicentio s. Maldegario a. 665 fundatum, quod Normanni, Carbonnariam permeantes, misere perdiderunt (4). Bruno, Coloniensis episc., loco monachorum canonicos postea instituit (5), locumque mœnibus munitum in oppidi formam redegit (6).

Sotteghem (h. Sotteghem), in Gandavensis urbis vicinio, castellum fuisse credimus; sæpe enim *Nobiles de Sotteghem* in dipll. occurrunt testes; atque rudera nonnulla, quæ antiquitatis speciem habent, ibi conspiciuntur.

Sualma, *Sualmæ* (h. Meuninx Zwalm), in Scaldis dextrâ, villa duabus ecclesiis ornata, ut ex dipl. Henrici Imp. a. 1030 constat, in quo inter cæteras possessiones D. Bavonis mon. refertur (7).

(1) Miræi l. l. Tom. IV, p. 347.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 49.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 347, 349.
(4) *Chron. Camerac.* p. 265.
(5) Gisleberti *Chron. Hannoniæ*, p. 15.
(6) Cfr. *Val.* Andreas *Bibl. Belg.* p. 42.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 349.

TENERAMONDÆ *oppidum nunc recensere deberem, quod vero præteribo eam ob causam, quoniam recentiori ævo credo ortum. Nam, quod* MEYERUS (1) *et* LINDANUS (2) *aiunt*, CASTRUM *fuisse Danorum tempore, et* SANDERUS (3), *qui hunc locum Caroli M. ætate cepisse originem credit, vix argumentis probabitur ullis.*

TIKLIVINI, *Tiklivinium* (h. Diklevene), monasterium ab Hilduardo Tullensi episc. a. 750 juxta Scaldim, prope Gaveram ædificatum (4), in divisione ad Marsanam a. 870 facta Caroli Calvi partibus adscriptum (5). Fuit postea a Normannis devastatum, cujus in locum aliud ibi Balduinus Flandrensis Com. condidit; quod vigebat ad a. 1081, quo a Gerardo Camerac. episc. in Gerardimontem transferebatur (6).

TOBACIA, *Tobacis, Tobbeca* (h. Tubeek s. Tubise), villa in ripâ Sennæ dextra, in Brachbatensi pago, a Carolo Calvo Nivellensi cœnobio a. 877 donata (7). Legitur quoque in dipl. Zwentiboldi reg. a. 897 (8), et Henrici Imp. a quo in divisione Nivellensium bonorum congregationi adscribitur (9).

TORINCORTE (h. Tourincourt), locus ad Teneræ fontes, qui simul cum Westrehemio a Gerardo Camerac. episc.

(1) *Annales Flandrens.* ad a. 846.
(2) In *Teneramunda*, P. I, c. 3.
(3) In *Flandriâ illustratâ*, Tom. II, p. 597.
(4) WASTELAIN *Descript. de la Gaule Belgique*, p. 419.
(5) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 28.
(6) WASTELAIN l. l.
(7) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 502.
(8) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 503.
(9) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.

D. Andreæ monasterio in Gerardimonte a. 1083 tribuitur, eidemque a Manasse episcopo confirmatur (1).

Ad TORNACENSEM *urbem* (de qua juxta ordinem institutum nunc loqui deberemus) *hæc velim pauciora animadvertas : Besselius Abbas in chronico* (2) *hanc urbem recte Menapisco pago adscribit,* ADDITIS ARGUMENTIS. *Attamen in recensione locorum Brachbatensis pagi Tornacum denuo adfert*, SINE ARGUMENTO. *Hinc Wastelinus eum locum in medio utriusque pagi, Scaldi fl. interfluente, tum temporis situm ait; indeque consequens credit, dimidiatum locum Brachbatensi, alteram partem Menapisco esse adscribendam* (3). *Nos medietatem hanc extitisse nostro tempore non credimus, propterea quod in nullis chronicorum scriptoribus hujusdem medietatis mentio occurrit. Alterum hujus nostræ sententiæ argumentum hoc habemus : lege nimirum Romana, quæ eo tempore vel apud Francos vim habuit, cautum erat, ne quis intra urbem aut sepeliretur aut cremaretur* (4) : *nos autem sepulcrum Childerici regis ad dextrum Scaldis latus habemus* (5), *ideoque hoc dextrum latus extra urbem quærere debemus; unde sequitur, urbem hanc non nisi in sinistra fluvii ripâ fuisse, ideoque non ad nos pertinere.*

UNCORMINIA (h. Escormais), in pago Brachbatensi, Gerardimontem et Scaldim interjacens, Caroli Calvi diplomate ad monasterium D. Bavonis a. 864 collata (6).

VILLARE (h. Villers), haud procul a Lothusa, inter villas

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. III, p. 18, col. Tom. I. p. 165.

(2) Quem cfr. s. voce *Menapiscus* et *Brachbatensis*.

(3) Cfr. *Description de la Gaule Belgique* s. vocibus *Brachbatensis* et *Menapiscus*.

(4) ROSINI *Antiqq. Roman.* p. 583.

(5) Vid. de sepultura Childerici dissertatiunculam MABILLIONIS in Tom. II, *Hist. Acad. Paris.*

(6) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 26.

Brachbatensis pagi, in Paschalis P. M. recensione bonorum D. Amandi mon. a. 1007 occurrit (1).

Villa (h. Ville), prope Condatum, nostro pago adscribitur diplomate Caroli Calvi a. 880, ubi hæc leguntur : « *in pago Brachbatensi in loco, qui dicitur Villa* » (2).

Wanbacis, *Wanbach*, *Wanbeca* (h. Wanbek), ad dextram loci Anderlicht, juxta Bruxellas; memoratur inter loca, quæ a. 877 Nivellensi cœnobio a Carolo Calvo traduntur (3); eidemque a. 897 a Zwentiboldo rege confirmantur (4); et ab Henrico Imp. Congregationi a. 1059 adscribuntur (5).

Warcinium (h. Warçoin), prope Herinias in Scaldis ripâ; in recensione bonorum Elnonensis abb., a. 1007 a Paschali P. M. instituta, inter Brachbatensis loca cum ignotis quibusdam aliis ponitur (6).

Warminia, *Waterminia* (h. Wetteren), ad Scaldim in Gandavi vicinio « *villa cum duabus ecclesiis in pago Brachbatensi*, » ut ab Ottone II, ipsam D. Bavonis Gandavensi mon. a. 976 tradente, nuncupatur (7); quæ vel ab Othelboldo abb. inter alias possessiones a. 1030 recensetur (8).

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 1151.

(2) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 10.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 502.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 503.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 510.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1151.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 344.

(8) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 349.

Wavera (h. Waveren), Bruxellas inter et Lovanium, in Dyliæ cornu; *villa* Brachbatensis pagi, ut in libello de miraculis D. Trudonis nuncupatur (1); ab Henrico III Lovanii Comite Afflighemiensi cœnobio a. 1096 data (2).

Westrehem (h. Westrem), in Alostensis castri confinio, a Gerardo Camerac. episc. monasterio Ticlivinio, in Gerardimontem translato, a. 1083 adscriptum (3).

Wileuva (h. Woluwe, rusticis dicta St.-Lievens Woluwe), haud longe a Bruxellis, a Gerardo Camerac. episc. D. Andreæ mon. in Cameracensi castello a. 1046 data (4).

Wilrehem (h. Wedreghem), allodium ad Teneræ sinistram; quod cum *monetâ*, *telonio*, *maceriâ*, et *districto* cum *molendino*, *terris cultis* et *incultis*, *pratis*, *servis* et *ancillis*, a Gerardo Camerac. episc. ecclesiæ suæ a. 1089 adscribitur (5).

(1) Cfr. *Act. SS. Belgii* Tom. V, p. 64.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I. p. 73.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 18.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 55.

(5) *Ibid.* l. l.

CAPUT IV.

PAGUS MAJOR

HASBANNIA.

Pagi nomen; fines ac limites; in comitatus distributio; locorum singulorum descriptio.

§ 21. Brachbatensem versus orientem sequitur, variâ (ut alii) scriptione gavisus, *Hasbannia, Haspengow, Hespengow, Haspinga, Hespingowe, Haspungowe, Hasbacensis pagus, Hasbannicus, Hasbaniensis.* Denominationem eum ab *Hasba* s. *Haspen* fl., addita syllaba *Gow*, sortitum esse, nemo ambiget.

22. Limites certi ; hi quidem : versus boream Taxandria terminatur et Masgovia, anfractuose in septentriones ad usque Marhold, nostri pagi locum, adscendens : ab occidente Brachbatensi ; Lomacensi a meridie ; ab oriente Mosâ fl. Consentiunt nobiscum et *Besselius* ille et *Des Rochius* VV. cll. (1); *Wastelinus* vero, Mansuariorum comitatum nostro (ut supra s. v. Taxandria vidimus) restituendum, ei abstulerat, qui vel altera vice fallitur, quod integrum Lovaniensem Comitatum nostro tribuit, nullo innixus seu argumento seu monumento (2); quibus vero nosmet nusquam egebamus, ubi (jam supra) loca omnia Lovaniensis Com. Brachbatensi pago restituimus.

(1) Cfr. utrumque s. voce *Hasbanniâ.*

(2) *Descript. de la Gaule Belgique* s. voce *Hasbannia.*

23. In Lothariensis regni divisione a. 870 facta, quatuor in comitatus noster distribuitur, qui Carolo Calvo totus adsignatus est (1), de quibus vero comitatibus maxima continuo inter eruditos fuit contentio.

Wastelinus, ut hinc ordiamur, de ipsis hæc facit verba : « *on découvre par d'autres monuments que vers ce temps-là*, *Louvain*, *Moilla*, *Brugeron et Nastenaco*, *avoient le titre de* COMTÉ; d'où nous *pouvons conjecturer qu'ils étoient les comtés subalternes de la Hasbannie* (2). » *Des Roches*, comitatus ipsi accenset MOILLAM, *Diestham*, *Haspingam* et *Nastenacum* (3). *Besselius* vel *Lossensem* comitatum nostro subjungendum contendit (4). De quibus omnibus hæc nos judicamus : Primo *Besselius* jamjam, ad calcem operis sui, *Moillam* a nostro longe alienam esse probavit; quam ipsi in opere ipso ante male adscripserat, quod quidem additamentum cæteros fugisse videtur.

Dewez v. cl. Moillam illo tempore pagum fuisse appellatum asserit, ideoque non comitatum eum esse potuisse censet; sed pace cl. viri dictum esto, pagis omnibus comites tunc temporis præfuisse, a quibus illi præsertim subpagorum nomen accepêre, licet hæc comitatûs adpellatio postmodum alium sensum obtineret; ubi nempe pagi cujuscumque extensionis comitum proprietas fierent; unde nimirum pagus, velut REGI *subditus, a* COMITATU, *velut comiti parente, distinguebatur.*

Deinde : *Lovaniensem com.* a solo *Wastelino* huc allatum satis superque, omnibus ejus a nobis adductis locis, Brach-

(1) Ap. MIRÆUM in *op. dipl.* Tom. I, p. 28.
(2) *Descript. de la Gaule Belg.* s. voce *Hasban.*
(3) Cfr. ipsum s. voce *Hasbanniâ.*
(4) *Chron. Gottw.* s. voce *Hasban.*

batensi pago adscribendum esse probavimus. Restat itaque *Nastenacus*, *Haspinga*, *Diesthemiensis*, *Lossensis* et *comitatus Brugeron*. *Lossensem Com.* cum *Diesthemiensi* unum eumdemque confecisse adpellationeque tantum variasse eo probamus, quod uterque eumdem tractum complexus est; ut tamen forte a duobus locis insignioribus, pro re nata, nomen diversum obtineret, nimirum a castello *Looz*, *Lossensis;* a *Diostæ* oppido, *Diesthemiensis*. Quæ si ita sint, comitatus *Lossensis*, *Nastenaco*, *Haspinga*, omnium consensu, *integram* ferme Hasbanniam occupavêre : *Brugeron* vero vix ante sæc. XI nomine *comitatûs* venit (1), atque Thenæ oppidi territorium forte non excedebat. Hinc concludendum, *Brugeron* propter exiguitatem istam cum aliis et majoribus illis comitatibus comparari non potuisse, neque comitatum fuisse ipsum; eo magis, quoniam quartam pagi nostri partem in *Mansuariorum* comitatu invenimus, quem pago vindicandum supra probavimus.

24. *Hasbanniæ locorum descriptio :*

Arbridum, locus hodie deperditus, occurrit in libello de miraculis D. Dionysii, in quo de Gondeboldo legitur : « *Ortus provincia Hasbaniensi in villa, quæ dicitur Arbrido* » (2).

Arschotum, locus sæc. XII comitatus nomine insignitus, vix ante hoc tempus in annalibus occurrit (3).

(1) Juxta dipl. Henrici, in nota ad *Des Rochii* locum adscripta, ubi hic Brugeron non ante ipsum sæc. XI comitatum fuisse ait.

(2) Ap. Bouquet, *Recueil des hist. de France*, Tom. IV, p. 704.

(3) Cfr. de ipso Grammayus in *Lovanio*, p. 51.

Avoncourt, *Acimcourt*, *Aincourt* (h. Aiencourt), meridiem versus situs, in Ottonis I dipl. anno jam 948 Nastenaco comitatui annumeratur (1) : ubi a. 1030 Rodulphus vir nobilis canonicorum collegium erexit (2). Nomine *villæ*, cum ecclesiâ, ab Henrico Leod. episc. Flonensi abbatiæ a. 1092 dabatur (3).

Awanlia (h. Wangen), villa ad Geldiu fl. a Lothario Imp. ecclesiæ Aquisgranensi a. 844 donata his verbis : « *in pago Hasbanniensi* Awanlia *et Imburcio* » (4).

Belisia (h. Bilsen), Hasbanniæ, versus Taxandriam, limes, ut ex antiquo scriptore noscitur; qui *regio*, ait, *cui Taxandriæ nomen est, quæ a Trajectensi oppido versus septentrionem vix tribus milliaribus disparatur, locus iste* Belisia *in ingressu Taxandriæ positus* » (5). Sæc. VII canonicorum cœnobio a D. Landrade fundato gaudebat (6). Mantelius *oppidi* nomen loco largitur (7), in vita tamen D. Trudonis simpliciter *Belisia* villa *Hasbanniæ* vocatur (8).

Bubais (h. Buenbeek), ad Telepam fl., villa, in qua sex mansi D. Laurentii cœnobio a Reginardo Leod. episc. a. 1034 donantur (9).

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 263.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 309.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 337.
(5) Nicolaus canonicus in *vit. D. Lamberti*, c. 10.
(6) *Act. SS. Belg.* Tom. III, p. 171.
(7) *Hist. Lossensis*, L. II, p. 21.
(8) *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 67.
(9) Miræi *op. dip.* Tom. III, p. 300.

CALMUD, *Calmond* (h. Chaumont), in comitatu Nastenaco; cujus mentio in divisione regni apud Marsanam facta (1); item in recensione bonorum monasterii D. Bavonis a. 1030, referente Othelboldo, *fiscale prædium* nominatur (2).

COMPETICA (h. Captich), villa cum ecclesia ad Velpam fl., in contractu Folcardi et Renechildis a. 1057 obvia (3).

CORBEIS (h. Corbais), prope Calmud in dipl. Ottonis I a. 948 cum Avoncourt occurrit (4).

DIOSTHA, *Diestha, Dystum, Dyestum, Dyestha, Dista, Thista* (h. Diest), ad Tameram fl., caput Diesthemiensis comitatûs; oppidum jam nostro tempore, palatio regum, ut in dipl. Zwentiboldi regis ad a. 900 legitur, insignitum (5).

De *Dispargo* oppido, in Diostæ nomine reperiundo, verba non faciam; quæ nempe aliorum sententia jam a *Dewezio;* et ante eum a *Besselio* abb. refutabatur.

DUNGLEBARC (h. Dongelberg), prope Avoncourt, cui monasterio noster a Rodulpho viro nobili a. 1036 donatur (6).

DUNGO (h. Donk s. Denk s. Dungo), ad Tameram fl., a Roberto Com. D. Trudonis monasterio a. 747 donatum, his verbis « *tradidi in pago Hasbannio locum quendam,*

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 28.

(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 349.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 662.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 139.

(5) *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 306.

(6) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 263.

qui dicitur Dungo, cum basilicâ inibi constructa » (1). *Villula Odenca* vocatur in vit. D. Ermelindis (2).

Felepa (h. Velpe), in fluviolo cognomine situm : D. Trudonis monasterio his verbis a. 747 traditur « *villas quoque scilicet Halen, Scaffenis, Felepa et Marhold*, et paulo post : « *hæc loca supra dicta sunt in Hasbanniensi et Mansuariensi* » (3).

Flona (h. Floen), monasterium in sinistrâ Mosæ ripâ, huic certe pago adscribendum, ab Henrico Leod. episc. a. 1092 conditum (4), de quo hæc ex fundationis chartâ moneamus : « *Locum illum qui Flona vocatur, elegerunt, solitaria mansione, inhabitandum, quem eorum voluntati, pro salute animæ suæ, sub taxatâ ratione tradidi.* »

Geldonia (h. Jodoigne oppidum), villa in medio Hasbanniæ sita, quæ « *Locus Hasbanniæ ad villam Brunbasium* » in manuscripto Rubeæ vallis appellatur. Ubi hodie oppidulum, ibi antiquitus castellum s. regale palatium fuisse videtur (5), si quid conjici ex fossarum et antri cujusdam ruderibus liceat, in nemoroso circuitu ad pedes oppidi sito.

Gestum, *Gest* (h. Geest), vicus prope Nastenacum, prædium, quod monasterio D. Laurentii Leodiensi a Reginardo episc. a. 1034 adscribitur (6). Castello fortassis insigne fuit:

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 493.
(2) *Act. SS. Belgii*, Tom. II, p. 217.
(3) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 493.
(4) *Ibid. op. dipl.* Tom. III, p. 309.
(5) Cfr. Grammayus in Gallo-Brab. p. 39.
(6) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 300.

nam *Nobiles de Gest* sæpenumero diplomata subsignarunt. Locula subterranea, ad mille usque passus excavata, in vicinio prædii hodienum conspiciuntur (1).

Guicholonhian (h. Guihoven), villa in meditullio ferme pagi, prope Tungrorum urbem. Ab Ottone I imp. Nivellensi cœnobio, cui adscribebatur, confirmatum legimus « *quidquid in pago Hasbanniensi, in villa, quæ dicitur* Guigolonhian, haberet » (2).

Haimbecha (h. forte *Heen* locus, prope Guicholonhian versus meridiem; qui cum ad rivulum, cujus nescio nomen, jaceat, *Beka* vero s. *Becha* ætate media *rivulum* æque significaret, forte hoc vocabuli augmentum accepit, retenta voce *Haim* s. *Heen*, quæ idem significat, ac habitatio; ita ut vox composita sit *villa ad rivulum jacens*). Occurrit in diplomate Theodorici regis Franc., quo varia prædia monasterio Atrebatensi D. Vedasti in Hasbannio et Ripuario, *Hamale* et *Haimbecham*, *Foronam* et quæ sunt cætera ille a. 673 donat (3): denuo in contractu Folcardi et Renechildis a. 1057, in quo villa cum ecclesia vocatur (4).

Halen (h. Halen) villa, haud procul a Dungo, quocum a Roberto Com. monasterio D. Trudonis a. 749 donatur (5).

Halstaplia, *Harstaplia*, *Herstaplia*, *Halsclapia* (h. Aelthoestfeld), locus haud longe a Guigolonhian, ex vita D. Evers-

(1) Grammayus in *Gallo-Brabant.* p. 42.
(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 654.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 127.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 662.
(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 493.

mardi martyris notus, *Harstaplia villa prope silvam vocatur;* » quæ simul vocis est significatio. *Stapel* enim non *emporium* modo, sed locum firmum, *sedem fixam, habitationem; Hart* autem *silvam* denotat (1).

Hamala (h. Halmal), haud longe ab Haimbecha, quocum a Theodorico reg. Franc. huic pago adscriptus, D. Vedasti cœnobio tribuitur (2).

Hamanium s. *Amanium* (h. Ama), ad Mosam, monasterium antiquum, a D. Odilia, Arnoldi Metensis sorore, ut fama fert, fundatum (3); ab anno jam 934 in collegialem ecclesiam conversum : unde vel incolis tum locus gavisus esse videtur.

Hasnoch (h. Assent), prope Diostam, D. Trudonis monasterio ab Holberto quodam a. 838 his verbis traditum : « *dono rem proprietatis meæ in loco nuncupato Hasnoch super fl. Meerbate, in pago Hasbanniensi s. Diestensi* » (4).

Herimala, *Harimala* (h. Heermal), in sinistrâ Mosæ ripâ, a Carolo M. Aquisgranensi ecclesiæ a. 779 donatur « *Hermala in pago Hasbanniensi* » (5); quam donationem Lotharius Imp. a. 844 confirmat (6); sed Otto Caprimontensi cœ-

(1) Ap. Bolland. die I *mensis Maij* n° 11, coll. Bouquet, *Recueil des hist. de France*, Tom. III, p. 637. — Ad vocem Hart multa tibi suppeditare potest Dumbeckius l. c. p. 49-51.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 127.

(3) Wastelain *Descript. de la Gaule Belg.* p. 198.

(4) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 499.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 499.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 337.

nobio magis favens, huic a. 947 attribuit (1). Cæterum tenenda est vocis *Heri-malæ* prægnantia, præsertim, quoniam non longe a nostro loco *Heri-stal* castrum dissitum videmus. Utraque enim vox populum olim ibi per *Herimannias* — ad publica comitia celebranda — convenisse innuit (2).

Hermez (h. Heers), super fl. Jaar, Gemblacensi cœnobio a. 922 donatur a D. Guiberto : « *similiter in pago Hasbain in villa Hermez* » (3).

Hildina (h. Hesdam), super fl. Mehania : in testamento occurrit Everhardi Com. a. 837, ubi sic legere est : « *cortem nostram Hildinam in Hasbannio* » (sc. damus) (4).

Hocenzela (h. Hoexem), prope Competicam, cum quâ a. 1057 in contractu Folcardi et Renechildis occurrit (5).

Imburcio (h. Islebruc), prope Landen, a Lothario imp. Aquisgranensi ecclesiæ a. 844 confirmatum (6).

Jamapia (h. Jemappe), villa Hasbanniæ, in qua IV mansi cœnobio D. Laurentii Leodiensi a. 1034 a Reginardo episc. donantur (7).

(1) Miræi *op. dipl.* T. I, p. 504.

(2) Tu vero circa vocem *Mal*, omnium gravissimam, vide laud. Dumbeckium p. 80-85, qua diatriba perlecta et ponderata vix aliquid tibi defuerit ad hanc antiquorum *mallorum* significationem pertinens. Quod vocem *Her* attinet, vide Schilteri Thes. Antt. Teut. P. III. s. v.

(3) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 139.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 19.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 662.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 337.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 300.

LANDANA, *Landen, Landa, Landenus, Landenovia, Landinus* (h. Landen), si annalibus fides, a Juliani imp. temporibus urbs spectabilis (1), quam sibi gloriam vel hodie incolæ vindicant. Pipini M. D. tempore, templo D. Gertrudis ornatum extitit (2) domicilium hoc Pipini, ut creditur. Ceterum locus palatium videtur fuisse Pipinorum, sat spectabile forsan, ut ex adjacentium locorum Attenhove, Raedshove, Ridderspat nominibus conjici licet, quæ ad illud quasi adpenditiæ pertinuisse videntur eo certius, quod locus noster in martyrologio D. Gudiliæ *urbs magna* vocatur (3); cui vero sententiæ vita Pipini obloquitur, in quâ *vicum humillimum* eum appellatum videmus (4). Discordes has sententias hoc modo conjungendas censeo : fuit enim locus a Normannis funditus eversus (5), qualem tum illius vitæ auctor descripsit. Eandem sortem vel postea a. 1012 per Godofredum Ardennatum passus est (6), ita ut posteriori ætate antiquum reparare splendorem non amplius potuerit.

LINNIACUM, super fluviolo, qui inter fontes Jaar fl. numeratur, situm; hodie *Ligne*, neque vero, ut alii volunt, *Ligny*: hoc etenim prope Gemblacum situm, ab Hasbanniâ remotius est, quam quod hûc trahi possit. Nostrum in charta Ludovici Pii Aginulpho datum a. 822 legitur (7).

(1) GRAMMAYUS in *Lovanio*, p. 46.

(2) HÆREI *Annales* in Pipin. p. 107.

(3) Cfr. illud martyr. sub die 21 Februarii.

(4) *Act. SS. Belgii*, Tom. II, p. 360.

(5) SIGEBERTUS GEMBLAC. ad. a. 837.

(6) GRAMMAYUS *in Lovanio*, p. 46.

(7) Ap. MARTENIUM *ampliss. collect. dipl.* Tom. I, p. 88.

LOOZ, *Loss*, *Lossa* (h. Looz s. Borch-Loen), oppidum in Hasbanniæ meditullio, caput comitatûs Lossensis; ab Arnoldo Com. ineunte sæc. X Balderico Leod. episc. traditum (1); quod Henricus III imp. cognomento Niger a. 1040 confirmavit (2). Ex hoc inde tempore comites Lossenses nexu feudali ad episcopatum Leodiensem pertinuêre, qui tamen omnes lapides iterato moverunt, ut ab illorum dominatione sese liberarent; unde oppidulum muris cinctum in annalibus plerumque *castrum* vocabatur.

LEUWE in Harigeri scriptis (3) villa appellatur.

MELDRADA, *Meldaria*, *Meldrecis* (h. Meldert), juxta Thenas, locus D. Hermelindis miraculis clarus : ubi sacra hæc virgo per L annos vitam degerat (4), et in cujus honorem duo monasteria, a Normannis postmodum deleta, a Pipino exstructa fuêre (5). Locus a. 1030 in Othelboldi abb. recensione bonorum abbatiæ D. Bavonis *fisci* nomine occurrit (6).

MERHOLD (h. Meerhoud), in boreali Hasbanniæ tractu illo, qui Mansuariorum comitatus videtur fuisse; in diplomate Roberti Hasbanniæ Com. pro monasterio D. Trudonis, cui a. 749 donabatur, obvius est (7).

(1) Cfr. ROBINS *Topograph. Comit. Lossens.* p. 146; coll. FISENIO, *hist. Leod.* p. 291, aliis.

(2) MANTELIUS *Hist. Lossens.* p. 26 — coll. MIRÆO *op. dipl.* T. I, p. 264.

(3) *Act. SS. Belgii.* Tom. III, p. 359.

(4) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 215. — GRAMMAYUS *in Lovan.* p. 44.

(5) *Acta SS. Belgii*, l. c.

(6) MIRÆUS *op. dipl.* Tom. I, p. 349.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 493.

Naslei (h. Nassy), villa in comitatu Nastenaco, meridiem versus sita, quæ occurrit in dipl. Ottonis I imp. a. 948 (1).

Opprebais (h. Opprebais), locus cum ecclesia, ad Geldiu fl. situs, qui a Rodulpho, viro nobili, a. 1036 canonicorum collegio Aincurtensi donatur (2). Alia quædam loca in eodem dipl. nominata, mihi nusquâm reperta sunt, ut *Wolmeries*, *Sceppes*, alia.

Orpium (h. Orp), monasterium super Geldiu fl. ab Alpaide, Caroli Martelli matre, ut creditur, conditum; in quo ipsius corpus terræ mandatum quiescit : quod vero cum post breve interisset tempus, ab Adilia abbatissa in convallibus conditum aiunt alterum, cujus nulla amplius supersunt vestigia (3).

Palliziol, locus incognitus, qui cum *Scallentino* ab Henrico III imp. Stabulensi monasterio tribuitur, Hasbanniæ accensetur (4).

Sarchinium, *Sarcinium D. Trudonis* (h. St. Tron), prope Guigolonhian et Hamale, monasterium a D. Trudone a. 665 conditum, uti in dipl. est : « *in territorio Hasbanniensi, in loco qui dicitur Sarcinium, super fluvium Cisindriam* » (5). Eucherius Aurelianus episc. in exilium, et quidem Sarchinium *Hasbanniæ vicum*, in cœnobium D. Trudonis a. 723 mittebatur (6). Qui vicus, incolarum numero aucto, muris

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 439.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 263.
(3) De his vide, quæ dixit Grammayus *in Gallo Brabant.* p. 43.
(4) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 308.
(5) Vit. *D. Trudonis* c. 12.
(6) Cfr. Sigebert. Gemb. *Annal.* ad a. 723.

a. 1058 circumdatus, oppidi formam ex hoc ipso forsan tempore consequebatur.

Schaffenis (h. Scaffen), prope Diostham, locus qui a Roberto Com. monasterio D. Trudonis a. 747 dabatur, Hasbanniensi pago annumeratus (1).

Septimburias (h. Zepperen), villa in vicinio Trudonopolis, quæ in D. Trudonis vita legitur (2).

Thenæ, *Tillemons*, *Thenæ mons* (h. Tirlemont s. Thienen). Locum trihorio ab Lovanio dissitum, cujus originem suo more *Grammayus* ab ima antiquitate ducit (3), a Juliani temporibus arcem fuisse in acclivi loco, ad fluvium sitam, sine argumento asserit ille; cui tamen sententiæ, de qua ipse non certior est, præfert alteram, qua nempe locum post Normannorum tempora conditum putat, hoc vero magna cum temeritate. Ego ante sæculum duodecimum nec oppidum hujus nominis, nec ullius unquam loci mentionem in ullo monumento fide digno reperii. Addo hæc modo : esse in orientali urbis latere tumulos tres, Romanorum, ut memorant, legatorum sepulcra (4).

Torona (h. Tourine), inter Liniacum et Hildinam, locus pagi Hasbanniensis, qui cum Hamale et Haimbecha a Theodorico Franc. rege D. Vedasti monasterio a. 673 conceditur (5).

Tongri, *Aduaca*, *Aduaticum*, *Attuacum*, *Atuatuca Tong-*

(1) Miræi *op. dipl.* T. I, p. 493.
(2) *Act. SS. Belg.* Tom. V, p. 28.
(3) *In Lovanio* p. 39.
(4) *Mémoires de l'Académie de Bruxelles*, T. IV, p. 446.
(5) Miræi *op. dipl.* T. I, p. 127.

rorum, *Tongrorum civitas* (h. Tongres). Ante annum 384, i. e. ante Hunnorum invasionem, locus erat ab antiquitate omnino spectabilis : Civitas Tungrorum apud Ptolemæum legitur : μετὰ τὴν Ταβοῦδαν ποταμὸν Τοῦγγροι καὶ πόλις Ἀτουάτοκων. (1) *Attuaca* juxta Cæsarem (2) *Castelli* nomen est, in quo impedimentis omnium legionum collatis, legati duo hiemandi causa remansêre. Tanquam *civitas* Germaniæ secundæ occurrit in notitia civitatum et provinciarum imperii (3); quam *Ammianus Marcellinus* AMPLISSIMAM et COPIOSISSIMAM (4), Cosmographus denique Aethicus OPPIDUM FAMOSUM OCEANI OCCIDENTALIS appellat (5). AEtate posteriori, quæ tamen Hunnorum tempus antecedit, perpetua fuit sedes episcoporum; donec eam D. Servasius, Hunnorum adventum præsagiens, Mosæ Trajectum a. 346 transferret (6); a quo tempore innumera mala passa Tungrorum metropolis est, pristino splendori reparando in omne tempus impar. Supererant sæculo undecimo rudera, testes magnitudinis, inter quæ exiguum satis oppidum surrexit. Conspiciuntur hodienum vestigia, in agro vicino, turrium, mœniumque et ambitus et roboris non exigui : viæ quoque militares tres, altera Bavacum, altera Coloniam Agrippinam, tertia Neomagum ducentes (7). Superstes in vulgo traditio est, mare olim alluisse aream nostræ urbis,

(1) PTOLEM. Geogr. L. II, c. 9

(2) Comment. de Bello Gallico, L. VI, c. 35.

(3) Ap. BOUQUET. *Recueil des hist. de France*, Tom. I, p. 123.

(4) Liv. XV, c. 17.

(5) Ap. BOUQUET. *Recueil des hist. de France*, Tom. I, p. 101.

(6) Vid. HENSCHENII *Exeg. Episc. Tungrens. et Traject.* inter. *Act. SS. Belgii*, Tom. I, p. 222, coll. G. TURONENSI *Hist. de France* L. II, c. 15.

(7) Ambitum murorum cet. vid. apud HENSCHENIUM l. l.

in cujus vicinitate ipsa ejus vetusta monstrant littora (1). Cui quidem sententiæ et loci natura et nomen « *Attuacum* » et « *Attuaticorum* populi » non contradicit. Antiquitatis vel alia rudera supersunt in confiniis dispersa : inter alia e. g. tumuli Romani et puteus, quem nonnulli fontem Tungrorum dicunt, aliis negantibus (2).

Talmio, vicus ignotus, cum ecclesia D. Martini, quam D. Trudo quavis nocte solitus erat adire (3).

Thaviers, locus item deperditus, qui ab Arnoldo Com. Flandr. ad D. Huberti monasterium a. 1071 transferebatur, ut in dipl. his verbis legitur : « *allodium quod vocatur Thaviers in pago Hasbanniensi situm.* » (4)

Velme (h. Vellem), haud procul a Landensi oppido locus, in *pago Haspingowe* ab Ottone II Imp. a. 982 positus (5).

Villers (h. Villers), haud procul ab Amanio, in quo loco VI bonnaria ab Henrico Leod. episc. Flonensi monasterio a. 1092 conceduntur (6).

Wasmund (h. Waesmond) inter Velme et Orpium, locus ab Ottone I imp. Gemblacensi monasterio a. 948 confirmatus..... « *Wasmund in Hasbannia* » (7); ibidem tumulum Romanum se vidisse testatur *Heylenius* v. cl. (8).

(1) Cfr. *Iter* Ortelii et Viviani, p. 9.

(2) Plinii *Hist. Natur.* L. XXXI. c. 3, coll. Foulon *Hist. de Liége*, Tom. I, p. 22 — *et Mémoires de l'académie de Bruxelles*, Tom. IV, p. 445.

(3) Vit. *D. Trudonis inter Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 41.

(4) Miræi *op. dipl.* T. IV, p. 185.

(5) *Chron. Gottw.* s. voce Hasbannia.

(6) Miræi *op. dipl.* T. III, p. 309.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 139.

(8) Mémoires de l'Académie de Bruxelles, Tom. IV, p. 446.

Wintershoven, *Winterhoven*, *Vinterhovium*, *Winterhof* (h. Winterhove), prope Tameram fl. prædium illustre satis, de quo hæc in D. Lamberti vita reperiuntur : « *refertur idem beatus Landewaldus specialem patronum nostrum sanctum scilicet Lambertum primâ pueritiâ nutrivisse propter quod, et illustris vir Aper, ejusdem pueri pater, prædium* Wintershoven *super Archa fluvium positum, eidem ad inhabitandum et ecclesiam construendum perpetuo jure concessit* (1). Legitur quoque, in eo prædio D. Bavonem, priusquam Gandavum fuerit tralatus, fuisse sepultum (2).

Zeelem, vicus prope Diostham, cujus mentio in vita D. Trudonis (3).

(1) Ap. Bouquet. *Recueil des hist. de France*, Tom. III, p. 586.
(2) *Acta SS. Belg.* T. III, p. 354.
(3) *Natales SS. Belgii* Molani die 23 Novemb.

CAPUT VII.

PAGUS MAJOR,

LEODIENSIS.

Nomen; fines ac limites; pagi cismosani descriptio.

§ 25. Pagus hic, ad utramque Mosæ ripam extensus, qui his fere nominibus veniebat, *Lincha, Leuga, Linga, Leuhius, pagus Leodiensis, Leodicensis, Livensis,* a fluviolo Legia, ex vico *Ans* prolabente, nomen duxit.

Pagus Leodiensem civitatem undequaque ambit, in ortum tamen longius protensus; unde terram *Aquensem* ac tractum *Tectis* simul comprehendens, ad usque confinia Juliacensia excurrit, Marsano pago a borea, Condrusio ac Arduenna ab oriente et meridie, Hasbanniâ ab occidente limitatus. Nobis describenda non nisi occidua ac magis exigua pagi pars venit, quæ quidem in hac Mosæ ripa jacens a nobis postulatur. Ceterum hæc insuper monita velimus : pagum hunc non ante sæc. IX innotuisse (1), antea partem fuisse Hasbanniæ et Masauviæ : nostro tamen sæc. XI proprium constituisse, eumque *majorem* pagum.

26. *Pagi cis-mosani descriptio.*

Angelgiagas (h. Heugen), in sinistra Mosæ ripâ : in diplom.

(1) Cfr. Des Roches *Mémoire couronné en* 1771, p. 27.

Caroli M. ecclesiæ Aquisgranensi a. 779 dato sic legitur : « *aliquot mansos in Angelgigas in pago Leuhio* » (1) sc. dono.

Heristallium, *Arestellium*, *Herstelli* (h. Herstal), palatium in sinistrâ Mosæ ripâ, a Pipino Caroli Martelli patre, qui ex eo cognomen hausit, conditum. Franciæ regibus locum in deliciis fuisse, variis ex diplomatibus, ibi datis, in comperto est; qui vero splendor sub Carolovingis paullulum declinabat primasque Aquisgranensi civitati cedebat.

Hurion (h. Herion) locus Hoium inter et Leodium, dipl. Lotharii regis Hasbanniæ adscribitur, licet inter Angelgiagas atque Leodium situs (2) ; quem sæculo nostro XI pago Liuvensi adnumerandum credimus.

Leodium, *Leodosium*, *Leodicum*, *Liuva*, *Leuchia*, *Legia*, *Liuga* (h. Liége s. Luyk), pagi metropolis, in ipsa Mosæ ripa. Urbem a D. Monulpho a. 558 conditam comperimus, quæ tum villæ magnitudinem non superabat (3). Crescere non ante sæc. VII cœpit, quo D. Lambertus Tungrensis episc. oratoriolum ibi construxit, in quo a Dodone Pipini domestico misere trucidatus est (4). Anno 720 faciem longe splendidiorem assumsit; nam D. Hubertus episcopalem sedem a Trajectensi oppido Leodium transtulit, ac basilicam illam miræ magnitudinis et structuræ erexit (5). *Fiscus regius* a

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 496.

(2) Lunnich II *Spicileg. eccles* Tom. III, p. 784.

(3) *Vit.* D. Lamberti *inter Acta SS. Belgii*, Tom. III, p. 198.

(4) *Ibid.* l. l.

(5) Cfr. Sigebertum Gemblacensem ad a. 720, alios.

Carolo imp. a. 769 nominatur (1) et brevi post *urbis* nomen in annalibus adsequebatur (2). Fuêre tunc miserrima Leodii tempora, Normannorum cruciatibus clara (3). Venit tandem Notgerus episc., qui vulnera omnia resarcivit, splendidissimamque urbi faciem reddidit. Ecclesiam construxit D. Mariæ ad Fontes, Palatium episcopale simul cum templo; ecclesiam quoque D. Pauli, cujus claustrum in publico monte incisum, triplici vallo et muro cum turribus altis communivit. Ecclesiam denique ædificavit St. Crucis, cum claustro item munito; ecclesiam in honorem D. Dionysii martyris, item tertiam in honorem D. Joannis Baptistæ, quartamque D. Adalberto dicatam; (4) unde non temerarium sane vetus illud Leodiense chronicon:

Notgerum Christo, Notgero cætera debes.

Hæc erant Leodiensis urbis splendida sæculo nostro monumenta, quibus addatur D. Jacobi cœnobium a Balderico II, Leod. episc. a. 1014 (5); ac D. Laurentii a Reginardo episc. a. 1025 erectum (6).

(1) Eginhardi *Annal. de gestis Carol. M. et Pipini* ap. Duchesne, Tom. II, p. 233.

(2) Annalista Saxo *ad a.* 881 ap. Eccardum in *corp. hist.* Tom. I, p. 220; col. Sigeberto Gemblac. ad a. 882.

(3) Sigebertus Gemblac. ad a. 882.

(4) Ortelii et Viviani iter pp. 6, et 8, editum cum Divæi *antiquitatibus*.

(5) Sigebert. Gemblac. ad a. 1014; coll. *Orig. Benedict.* Miræi, p. 252.

(6) *Orig. Bened.* Miræi, p. 513.

CAPUT VIII.

PAGUS MAJOR,

HANAGAVIA.

Nomina varia; fines atque limites; pagi divisio; singulorum locorum descriptio.

§ 27. Pagus hic in variis veterum scriptis promiscue his reperitur nominibus : *Hanagavia*, *Hanigow*, *Hainans*, *Hainons*, *Hainocensis*, *Hainoënsis*, *Hannonensis*, *Hainogi-nensis*, *Albania*, *Pannonia*, *Hannonia*, *Haynaucus*, *Hunnia*. Quorum omnium etymon vel primo comparet oculorum obtutu : *Hana* fl. in boreali pagi parte decurrens, juncto vocabulo *gau*, nomen fecit, ita ut *pagum ad Hanam situm* habeamus.

28. *Terminatur* Brachbatensi a borea ad Hanam fere fluvium extenso; Lomacensi ad orientem, Scaldi ad occidentem, Theorasciâ, pagoque Pontano, vel si malueris, lineâ fere rectâ a scaturiente Scaldi versus Mosam ductâ, ad meridiem. De quibus sic satis conveniunt omnes scriptores : clarissimum tamen *Besselium* hic errasse suspicor : nam ad Sambræ fluvium, pagellum quendam *Sambrensem* Lomacensi pago male subjunxit, qui tamen pars est pagi nostri Hainoënsis, ut ex antiquo Lobbiensi chronico ita liquet, ut ulteriori explanatione plane res non egeat. *Des Rochius* autem omni periculo evasit silentio.

29. Pagum nostrum cum clarissimo auctore chronici Gottwicensis (1) nos quoque non inepte *dividimus*. Hainoënsis nempe, pagus major, qui et olim *Fanomartensis*, scribente Falcuino Lobbiensi abb., appellabatur (2), hisce constabat pagellis :

I. *Hanagaviâ propriâ*, quæ in borealibus partibus Hanâ fluviolo, ad orientem Sambrâ fere, ad occidentem Scaldi, ab austro denique anfractuosis Fanomartensis pagi limitibus, qui vel occiduum latus quodammodo tangunt, terminatur;

II. *Fanomartensi*, qui Hanagaviæ propriæ a meridie situs, juxta Sambræ fluvium adscendit, versus ortum ad Scaldim protractus, in austro Cameracensem attingit ac Theorasciæ Pontanique partem;

III. *Cameracensi*, s. *Camaricienşi*, s. *Kambricensi*, omnium et pagellorum Hanagaviæ et pagorum nostrorum in austrum et occasum maxime descendens (3);

IV. *Fannia* pagello, qui Hanagaviam majorem in orientem et meridiem claudit, Hanagaviæ propriæ, Lomaeensi et Pontano contiguus;

V. *Sambrensi*, quem utpote exiguum, quum, præter situm ad Sambram fluvium, omnino nihil de eo certum existat, sub Hanagaviâ propriâ, quæ quidem ad ejus loca attinent, descripsimus.

Hi Hanagaviæ majoris subpagelli, si me audias : juxta

(1) Cfr. s. voce *Hanagavia*.

(2) Ap. Miræum in *origin. Benedict.* p. 127.

(3) De ipso pago plura dabunt de Guise et Vinchant in Annalibus.

Wastelinum vero ad Hanagaviam majorem id solum temporis, ubi Comites in suis se comitatibus hereditarios fecissent, Fannia et Fanomartensis pertinuêre; quos tamen *Besselius* sub eo pago comprehensos, jam ex antiquo tempore, credidit; cum quo vel nos consentimus, quia, ut mox videbimus, plurima loca utriusque subpagi promiscue Hanagaviæ adscribuntur, quod quidem de *majori* solum *Hanagaviâ* intelligendum. Insuper hæc nostra sententia expressis verbis Folcuini, Lobbiensis chronici auctoris, roboratur, qui integram regionem Fanomartensem suo tempore *Hanagaviam* nominatam fuisse asserit (1).

30. Locorum singulorum descriptio. Hanagaviæ propriæ *loca hæc :*

Ablaton, *Blaton,* locus, ut verosimile est, palatio ornatus, ubi Adalbaldus Dux residebat, et atrocissima nece periit (2).

Alneum (h. Aulne), ad Sambram fl., Sambrensi ea propter s. Sambrino pago adscriptus (3). In eo loco a D. Landelino monasterium fuerat constructum, ut ex ipsius divi vitâ discimus (4); a Dagoberto rege Lobbiensibus monachis ab anno jam 691 subjectum (5).

Altus-mons, *Altimontense cœnobium* (h. Hautmont), monasterium ad Sambram fl., a Maldagario Com. sæc. VII funda-

(1) Cfr. Miræi *Orig. Bened.* p. 127, ubi laudat *Chronic. Lobb.*

(2) *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 404.

(3) *Ibid.* l. l. T. IV, p. 461.

(4) *Inter act. SS. ord. D. Benedicti* sæc. II, p. 873.

(5) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 1126.

tum (1); quod D. Ansbertum Rothomag. episc., in exilium missum, excepit (2). Occurrit et ejus mentio in vitâ D. Vulmari (3); atque in donatione Henrici imp. Theoduino Leod. episc. a. 1071 factâ (4); in quibus omnibus monumentis Hainoënsi pago adscribitur.

Achimagas, *Akimagas, Agimagas* (h. Hauchin), ad Sambram, cum aliis nonnullis locis Aquisgranensi ecclesiæ a Carolo M. a. 779 donatur (5), ipsique a Lothario imp. a. 844 confirmatur *(in pago Hainionense Agimagas)* (6).

Altus-portus, locus perditus, qui cum præcedente in iisdem dipll. obvius est, atque Hanagaviæ pariter adscribitur, forte in vicinitate quondam situs.

Amblisia (h. Amblise), in dipl. Caroli Calvi legitur, ubi Dononiensi monasterio a. 877 traditur (7); qui quidem locus nemus fuit, ad Scaldim situm, in quo ecclesiolam D. Landelinus ædificarat (8).

Bavacum, *Baacum, Bacacum, Bagacum, Baganon* (h. Bavai), vetusta Nerviorum metropolis, ut ex *Ptolemæo* discimus, qui de Nerviis verba faciens eam πόλιν dicit. Urbs cæterum

(1) Cfr. vit. *D. Waldetrudis* inter *act. SS. Ord. D. Benedict.* sæc. II, p. 866.

(2) Vit. *D. Ansberti* ap. Duchesne, Tom. I, p. 688.

(3) *Act. SS. ord. D. Benedict.* P. I, sæc. III, p. 234.

(4) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 15.

(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 496.

(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 337.

(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 219.

(8) *Act. SS. Belgii*, Tom. IV, p. 461.

splendidissima fuisse videtur, si de ejus magnitudine ex ruderum ambitu aliquid liceat conjici. *Augusti* tempore, nec vero Bavonis illius, Priami Trajanorum regis consobrini, ut *Guisius* (1), qui omnia a Græcis et Trojanis repetit, forsan condebatur; *Cæsar* enim ipse ille, qui res omnes Belgicas tam accurate descripsit, nullam ejus mentionem injicit; atque monumentum, quod habemus antiquissimum, Bavaci inventum, e tempore modo Tiberii est (2). Sæculo V a Clodione maxime vexata, ab Attila Hunnorum rege funditus deleta est (3); nec unquam postea resurrexit : sæculo itaque nostro XI (ut hodienum) villa fuit, ab ambitu exigua, a splendore tamen vestigiorum Romanorum, post barbarorum furores superstitium, satis spectabilis. Sunt autem hæc, quæ id genus memoranda veniunt : *viæ militares* octo (h. Chaussées de Brunehaut, a quâ scilicet reginâ a. 578 instauratæ fuêre), Coloniam Agrippinam, ad Scaldim, ad Gessoriacum portum, ad Atrebatensem urbem, Augustam Veromanduorum, Rhemorum Trevirorumque civitates ducentes, moderante Agrippâ confectæ (4); quod attinet ad materiam, unde viæ illæ constructæ sunt, notandum : eas lapidibus esse factas minusculis, in agro vicino non reperiundis; porro situ esse vicinis agris multo altiores atque ad amussim fere ductas; denique metam habere suam omnes et singulas in foro Bavacensi, uti in ipsa urbe Romæ *aurea columna* (5). Deinde ibi sunt innumera.

(1) In opere, quod inscribitur : *Antiquités du Hainaut*, laud. a. cl. v. De Bast in T. II, *supplément aux antiquités Romaines et Gauloises* p. 7.

(2) Delwarde, *hist. du Hainaut*, Tom. I, p. 32, ubi laud. *Gruterus*.

(3) Bucherius in *Belg. Roman.* p. 502.

(4) Ut ex Suetonio laudat Bucherius l. c.

(5) Vinchant, *Annal. du Hainaut*, pp. 24, 27, 28 sqq.

aquæductuum rudera, Bavacum inter et Altimontense monasterium superstitia; et apud Fontaine-fleuri *ædes Agrippæ; cloacæ* quoque CC pedum prope portam Valentianam, illisque adjacentes *templi* s. *turris reliquiæ*, cujus lapides ferreis vinculis sunt constricti; *circus* etiam seu campus, viginti columnis adornatus, qui, si ex rudiori formâ aliquid conjiciendum, e Gallorum potius ætate superesse videntur. Denique *Balnea* s. *subterranea* sub basilica inventa loca, muris apte distincta (1).

Buriacum (h. Breuil), villa quæ a Dagoberto Franc. rege Cameracensi cathedrali ecclesiæ a. 640 dabatur (2).

Buxidis, *Buxide, Buxude* (h. Buschut), castellum super Hagnam fl. prope Montes; villa tantum appellatum in vita D. Gisleni, in quâ *de ecclesia in villa Buschut* sermo (3); sicuti in vitâ D. Waldetrudis (4). Sed castrum in eâ a Rachinero et Lamberto munitum fuisse contra imperatorem, qui illud destruxit, eosque in exilium a. 974 misit, ex chron. Cameracensi videmus (5).

Cella D. Gislani, *Ursigondus* (h. St. Gillain), monasterium in palustri loco ad Hanam fl., in quo ecclesiola a D. Gislano a. 651 constructa commemoratur (6). Monachis illis Cellen-

(1) Qui vero plura huc spectantia expetit, clarissimi adeat Bastii opus, sæpe laudatum, ubi hæc omnia copiosius tractantur. Nobis satis esse putamus, laudasse circa hunc Bavaci splendorem Romana opera, quæ, ut ait *Dio Cassius, munificentissima* fuêre.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 1.

(3) *Act. SS. Belgii*, Tom. IV, p. 380.

(4) *Ibid.* Tom. IV, p. 442.

(5) *Chron. Camerac.* p. 160.

(6) Miræi *Orig. Benedict.* p. 115; coll. *Act. SS. Belgii*, Tom. III, p. 549.

sibus, a Dagoberto rege olim traditum, ab Ottone imp. a. 965 confirmatur, ubi hæc leguntur : « *locus olim ab incolis Ursigondus, nunc* CELLA *vocatus* » (1) : postea ab Henrico III imp. illud Notgero episcopo a. 1044 concedebatur (2).

Carnetto (h. le Charnot), sine dubio locus est, huic pago adscribendus, ad Sambram scilicet jacens, ut in diplomate videmus Oduini, domini Walcuriæ, qui ibi III bonnaria Walcoriensi suo monasterio a. 1026 tribuit (3).

Crispinium (h. Crespin, seu Crispin), supra Condatum, haud longe a Scaldi; monasterium erat Benedictinorum, in silvarum profundâ opacitate a D. Landelino olim conditum (4), et a fontis miræ suavitatis et profunditatis *crispantibus* undis nominatum (5); a Normannis misere a. 870 eversum ac deinde per tempus a Canonicis regularibus, quos Carolus Simplex Cameracensium episc. jurisdictioni a. 921 subjecit, habitatum (6); qui quidem Canonici donis præsertim Henrici Aucupis a. 931 ditabantur (7); quorum autem in locum postea Richildis comitissa, ejusque filius Balduinus, monachos Benedictinos, qui ibi antea fuêre, a. 1080 restituit (8). Urbanus II P. M. monachorum fautor, in diplomate anni 1003 monasterii situm recte sic determinavit, « *in villa, quæ vocatur Crispinium, super fl. Hon, in pago Hainoënsi* » (9).

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 505.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 15.
(3) *Ibid.* T. III, p. 298.
(4) Miræi *orig. Benedict.* p. 134.
(5) Cfr. vit. D. *Landelini* inter *Act. SS. ord. D. Benedict.* sæc. II, p. 873.
(6) Miræi *op. dipl.* Tom. IV, p. 175.
(7) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1129.
(8) *Ibid.* Tom. II, p. 1135.
(9) *Ibid.* Tom. II, p. 1140.

S. Dionysii (h. St. Denys), monasteriolum secundo lapide a montibus Hannoniæ dissitum, a Richildi Comit. ejusque filio Balduino a. 1081 conditum (1).

Dulciaca, *Dulcis*, *Dulciacus* (h. Douzy), ab Arnulpho Flandr. comite monasterio Blandiniensi a. 937 donatur « *in pago Hainau, super fl. Savo*, Dulciaca » (2), ipsique postmodum a. 957 confirmatur (3). In posteriori hoc dipl. villæ nomen adipiscebatur; ut in alio quoque Ludovici Transmarini a. 950 et Ottonis imp. a. 966 (4).

Fagetus, *Faye* (h. Fay), ad Hanæ fontes, locus ex diplom. Caroli Simplicis notus, a quo in Hanagavia positus, Maricolensi cœnobio conceditur (5).

Fontanæ (h. Fontaine), locus ad Sambram; jam a Carolo M. Lobbiensi monasterio a. 745 adscriptus (6).

Galdeciatas, a Carolo Simplici Franc. rege Dononiensi monasterio, in eodem pago Hainoënsi, a. 877 datur (7), hodie vero plane ignotus.

Guariniacum (h. Grand Wargny), haud longe a Villare; recensetur inter possessiones Elnonensis abbatiæ a Paschali P. M. a. 1007 relatas: « in pago Huniacensi Guariniacum (8). »

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 666, coll. *ejusdem origin. Benedict.* p. 316.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 39.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 939.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 260, 261.
(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 36.
(6) Falcuinus in *Chron. Lobb.* c. 6.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 249.
(8) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1151.

Caroli M. ecclesiæ Aquisgranensi a. 779 dato sic legitur : « *aliquot mansos in Angelgigas in pago Leuhio* » (1) sc. dono.

Heristallium, *Arestellium*, *Herstelli* (h. Herstal), palatium in sinistrâ Mosæ ripâ, a Pipino Caroli Martelli patre, qui ex eo cognomen hausit, conditum. Franciæ regibus locum in deliciis fuisse, variis ex diplomatibus, ibi datis, in comperto est; qui vero splendor sub Carolovingis paullulum declinabat primasque Aquisgranensi civitati cedebat.

Hurion (h. Herion) locus Hoium inter et Leodium, dipl. Lotharii regis Hasbanniæ adscribitur, licet inter Angelgiagas atque Leodium situs (2) ; quem sæculo nostro XI pago Liuvensi adnumerandum credimus.

Leodium, *Leodosium*, *Leodicum*, *Liuva*, *Leuchia*, *Legia*, *Liuga* (h. Liége s. Luyk), pagi metropolis, in ipsa Mosæ ripa. Urbem a D. Monulpho a. 558 conditam comperimus, quæ tum villæ magnitudinem non superabat (3). Crescere non ante sæc. VII cœpit, quo D. Lambertus Tungrensis episc. oratoriolum ibi construxit, in quo a Dodone Pipini domestico misere trucidatus est (4). Anno 720 faciem longe splendidiorem assumsit; nam D. Hubertus episcopalem sedem a Trajectensi oppido Leodium transtulit, ac basilicam illam miræ magnitudinis et structuræ erexit (5). *Fiscus regius* a

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 496.

(2) Lunnich II *Spicileg. eccles* Tom. III, p. 784.

(3) *Vit.* D. Lamberti *inter Acta SS. Belgii*, Tom. III, p. 198.

(4) *Ibid.* l. l.

(5) Cfr. Sigebertum Gemblacensem ad a. 720, alios.

Carolo imp. a. 769 nominatur (1) et brevi post *urbis* nomen in annalibus adsequebatur (2). Fuêre tunc miserrima Leodii tempora, Normannorum cruciatibus clara (3). Venit tandem Notgerus episc., qui vulnera omnia resarcivit, splendidissimamque urbi faciem reddidit. Ecclesiam construxit D. Mariæ ad Fontes, Palatium episcopale simul cum templo; ecclesiam quoque D. Pauli, cujus claustrum in publico monte incisum, triplici vallo et muro cum turribus altis communivit. Ecclesiam denique ædificavit St. Crucis, cum claustro item munito; ecclesiam in honorem D. Dionysii martyris, item tertiam in honorem D. Joannis Baptistæ, quartamque D. Adalberto dicatam; (4) unde non temerarium sane vetus illud Leodiense chronicon :

Notgerum Christo, Notgero cætera debes.

Hæc erant Leodiensis urbis splendida sæculo nostro monumenta, quibus addatur D. Jacobi cœnobium a Balderico II, Leod. episc. a. 1014 (5); ac D. Laurentii a Reginardo episc. a. 1025 erectum (6).

(1) Eginhardi *Annal. de gestis Carol. M. et Pipini* ap. Duchesne, Tom. II, p. 233.
(2) Annalista Saxo *ad a.* 881 ap. Eccardum in *corp. hist.* Tom. I, p. 220; col. Sigeberto Gemblac. ad a. 882.
(3) Sigebertus Gemblac. ad a. 882.
(4) Ortelii et Viviani iter pp. 6, et 8, editum cum Divæi *antiquitatibus*.
(5) Sigebert. Gemblac. ad a. 1014; coll. *Orig. Benedict.* Miræi, p. 252.
(6) *Orig. Bened.* Miræi, p. 513.

CAPUT VIII.

PAGUS MAJOR,

HANAGAVIA.

Nomina varia; fines atque limites; pagi divisio; singulorum locorum descriptio.

§ 27. Pagus hic in variis veterum scriptis promiscue his reperitur nominibus : *Hanagavia*, *Hanigow*, *Hainans*, *Hainons*, *Hainocensis*, *Hainoënsis*, *Hannonensis*, *Hainogi-nensis*, *Albania*, *Pannonia*, *Hannonia*, *Haynaucus*, *Hunnia*. Quorum omnium etymon vel primo comparet oculorum obtutu : *Hana* fl. in boreali pagi parte decurrens, juncto vocabulo *gau*, nomen fecit, ita ut *pagum ad Hanam situm* habeamus.

28. *Terminatur* Brachbatensi a borea ad Hanam fere fluvium extenso; Lomacensi ad orientem, Scaldi ad occidentem, Theorasciâ, pagoque Pontano, vel si malueris, lineâ fere rectâ a scaturiente Scaldi versus Mosam ductâ, ad meridiem. De quibus sic satis conveniunt omnes scriptores : clarissimum tamen *Besselium* hic errasse suspicor : nam ad Sambræ fluvium, pagellum quendam *Sambrensem* Lomacensi pago male subjunxit, qui tamen pars est pagi nostri Hainoënsis, ut ex antiquo Lobbiensi chronico ita liquet, ut ulteriori explanatione plane res non egeat. *Des Rochius* autem omni periculo evasit silentio.

29. Pagum nostrum cum clarissimo auctore chronici Gottwicensis (1) nos quoque non inepte *dividimus*. Hainoënsis nempe, pagus major, qui et olim *Fanomartensis*, scribente Falcuino Lobbiensi abb., appellabatur (2), hisce constabat pagellis:

I. *Hanagaviâ propriâ*, quæ in borealibus partibus Hanâ fluviolo, ad orientem Sambrâ fere, ad occidentem Scaldi, ab austro denique anfractuosis Fanomartensis pagi limitibus, qui vel occiduum latus quodammodo tangunt, terminatur;

II. *Fanomartensi*, qui Hanagaviæ propriæ a meridie situs, juxta Sambræ fluvium adscendit, versus ortum ad Scaldim protractus, in austro Cameracensem attingit ac Theorasciæ Pontanique partem;

III. *Cameracensi*, s. *Camaricìensi*, s. *Kambricensi*, omnium et pagellorum Hanagaviæ et pagorum nostrorum in austrum et occasum maxime descendens (3);

IV. *Fannia* pagello, qui Hanagaviam majorem in orientem et meridiem claudit, Hanagaviæ propriæ, Lomacensi et Pontano contiguus;

V. *Sambrensi*, quem utpote exiguum, quum, præter situm ad Sambram fluvium, omnino nihil de eo certum existat, sub Hanagaviâ propriâ, quæ quidem ad ejus loca attinent, descripsimus.

Hi Hanagaviæ majoris subpagelli, si me audias: juxta

(1) Cfr. s. voce *Hanagavia*.

(2) Ap. Miræum in *origin. Benedict.* p. 127.

(3) De ipso pago plura dabunt de Guise et Vinchant in Annalibus.

Wastelinum vero ad Hanagaviam majorem id solum temporis, ubi Comites in suis se comitatibus hereditarios fecissent, Fannia et Fanomartensis pertinuêre; quos tamen *Besselius* sub eo pago comprehensos, jam ex antiquo tempore, credidit; cum quo vel nos consentimus, quia, ut mox videbimus, plurima loca utriusque subpagi promiscue Hanagaviæ adscribuntur, quod quidem de *majori* solum *Hanagaviâ* intelligendum. Insuper hæc nostra sententia expressis verbis Folcuini, Lobbiensis chronici auctoris, roboratur, qui integram regionem Fanomartensem suo tempore *Hanagaviam* nominatam fuisse asserit (1).

30. Locorum singulorum descriptio. Hanagaviæ propriæ *loca hæc :*

Ablaton, *Blaton,* locus, ut verosimile est, palatio ornatus, ubi Adalbaldus Dux residebat, et atrocissima nece periit (2).

Alneum (h. Aulne), ad Sambram fl., Sambrensi ea propter s. Sambrino pago adscriptus (3). In eo loco a D. Landelino monasterium fuerat constructum, ut ex ipsius divi vitâ discimus (4); a Dagoberto rege Lobbiensibus monachis ab anno jam 691 subjectum (5).

Altus-mons, *Altimontense cœnobium* (h. Hautmont), monasterium ad Sambram fl., a Maldagario Com. sæc. VII funda-

(1) Cfr. Miræi *Orig. Bened.* p. 127, ubi laudat *Chronic. Lobb.*

(2) *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 404.

(3) *Ibid.* l. l. T. IV, p. 461.

(4) *Inter act. SS. ord. D. Benedicti* sæc. II, p. 873.

(5) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 1126.

SEBROUK (h. Sebourg), prope Onanium; villa in qua mansos nonnullos Crispiniensi abbatiæ Ermentrudis, uxor Balduini ædificatoris, a. 1089 tradidit (1)

TAISNERÆ (h. Taisneres), in Hannonensis pagi meditullio, a Carolo Simplici Maricolensi cœnobio a. 921 adscribitur (2).

TIEDEIAS (h. Tieusies), haud procul a Rodio, villa nominatur ab anonymo D. Gislani vitæ auctore, qui sæc. X vitam egit (3).

THEONIS VILLA (h. Tun s. Thun), villa ad Scaldim, *in pago Hainoginensi* a Carolo Calvo a. 877 posita, monasterioque Dononiensi dono donata (4).

VILLARE (h. Villers), prope Guariniacum; cujus villæ mentio in dipl. Gundradæ, quo cathedrali Cameracensi ecclesiæ a. 885 donatur, « *sita in pago Hagnoënse super fl. Unctium* » (5).

VERCINIUM, *Vertinnio*, (h. Werchyn), juxta Scaldim; a Carolo Simplice Maricolensi cœnobio « *in pago Hainao in villa Vercinio* » donatio a. 921 facta dicitur (6).

VODGORIACUM (h. Voudrai), locus in tab. Peutingeriana occurrit, atque a Bagaco XII M. P. ponitur, super via itaque Romana situs (7).

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. II, p. 1159.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 36.
(3) *Act. SS. Belgii*, Tom. IV, p. 385, 389.
(4) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 249.
(5) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 935.
(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 36.
(7) De qua via cfr. *Mémoires de l'Académie de Bruxelles*, Tom. IV, p. 435.

Waldriacum, *Waldriegum* (h. Wauldret), haud longe a Peronna distans, duobus dipll. altero Caroli M., altero Lotharii imp. Aquisgranensi ecclesiæ conceditur (1), quibus pagi Hanoënsis fuisse ditionis liquet.

31. Pagi Fanomartensis *loca* :

Avenæ (h. Avenes), illustrissimæ clientelæ prædium ad majorem Helpram, quem locum Castello ornatum, vel ab undecimo nostro sæculo credimus.

Avisinæ (h. Avenes la sec), juxta Scaldim villa, cujus mentio in præcepto Caroli M. a. 775 pro ecclesia D. Dionysii dato, legitur (2).

Basius (h. Barsy), haud procul a Fidemio, limes vocatur silvæ ab Ottone imp. D. Mariæ Cameracensi ecclesiæ a. 983 traditæ, ubi expresse in pago Fanomartensi collocatur (3).

Bochanium, *Buccinium*, (h. Bouchain), conditum creditur in memoriam celebris victoriæ, in hoc, vel vicino loco a Pipino Heristallio de exercitu Theodorici reportatæ (4).

Crux (h. Croix), prope Solemium : cella, quæ jam deperdita, a Carolo M. olim Dionysiensi monasterio, ex Pipini ducis donatione confirmabatur (5); cujus denuo a Childe-

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 449, col. 337.

(2) Mabillon *de re dipl.* Tom. I, pp. 449, 337.

(3) *Chronic. Camerac.* p. 193.

(4) *Dict. géogr. de* Baudrant s. v. Bouchain; coll. Bruzen de la Martinière *in dict. géogr.* s. eadem v. et *Athen. Belg.* Sweertii, p. 24.

(5) Ap. Felibianum in *probat. hist. Abbatiæ* D. Dionysii.

berto Franc. reg. mentio a. 705 est, his verbis : « *in pago Fanomartensi oratorium illud ad Crucem* » (1).

Dononio (h. Denain), prædium monasterio insignitum, infra Fanum Martis, unde certo certius huic pago tribuendum, quod in omnibus tamen dipll. Hanagaviæ adscribitur; ubi itaque hoc de *majore pago* intelligendum est, juxta ea quæ in procemio monuimus. Monasterium olim a D. Raginfreda, ut ex dipl. quodam Caroli Calvi anni. 870 liquet, condebatur (2). Vetustate, temporisque injuria periisset, nisi ab Alduino Com. instauratum, atque in priorem statum fuisset restitutum (3). Male omnino a *Wastelino* v. cl. Ostervantensi pago adnumeratur.

Gorgunces (h. la cense de Gourgouces), alter limes est supra citatæ silvæ ab Ottone Imp. a. 983 Cameracensi ecclesiæ traditæ (v. Basius) (4).

Fanum martis (h. Famars), antiquissimi castelli a Romanis conditi nomen (5), quod Francis deinceps advenientibus tantam adeptum famam est, ut integra Hanagavia ab eo appellaretur (6). Post barbarorum tamen incursiones hac celebritate ita exutus comparet locus, ut ex antiquitatis solum, quæ supererant, vestigiis splendoris memoriam retineret. De his ita Bucherius : « *Præfert Fanum Martis ingentia firmissimaque etiamnum Castelli Romani rudera, ingenti a nobis*

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 244.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 249.
(3) Chron. Camerac. p. 248.
(4) *Ibid.* p. 193.
(5) Cfr. *Notitiam dignit. Imperii* in Tom. I operis Bouquetii sæpius laud.
(6) Folcuini *Lobbiense chron. laud.* a Miræo *in originib. Benedict.* p. 127.

et admiratione et voluptate aliquoties visa excussaque; e quibus nummi plures eruuntur a nobis inspecti » (1).

Fidemium (h. Femy) Benedictinorum Abbatia ad Sambram a nobilibus duobus Anglis a. 1080 condi cœpta, qui Deo servire studentes, fratres nonnullos e Cameracensi castello evocarunt; quorum primus abbas fuit Stephanus; ac ecclesia loci ipsa D. Stephano protomartyro dicabatur. Ceterum abbatia hæc præcipua Nicolai Episc. cura crescebat (2).

Ficiacus, *Fiscau* (h. Fichau), haud procul ab Avenis. Mentio ejus in vita D. Ettonis, qui *in Fisciaco in pago Fanomartensi* diem supremum obiit (3). Porro in chronico Camerac. de monasterio ibi condito sermo est (4).

Maricolæ, *Marelias*, *Mariculæ*, *Mareclïæ*, *Marecolæ*, (h. Maroil), monasterium juxta Sambram a D. Humberto a. 667 conditum; in cujus fundationis charta « *sacrosanctum monasterium* vocatur, *situm in Fanomartensi pago* (5); in dipl. tamen Caroli Simplicis *Hanagaviæ* a. 921 annumeratur (6); ut etiam apud Sigebertum Gemblacensem (7), solito jam more, quo loca in *minori* pago sita, sæpe *majori*, ad quem utraque pertinuere, adscribebantur. Monasterium autem, suas quoque passum vicissitudines, non multo post D. Humberti fundationem a monachis, qua nescio causa, deserebatur,

(1) In *Belgico Romano*, p. 495.
(2) Cfr. *Origin. Bened.* Miræi, p. 292.
(3) Wastelain *Description de la Gaule Belg.* p. 413.
(4) *Chron. Camerac. Balderici*, p. 254.
(5) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 9.
(6) *Chron. Camerac.* pp. 52; 109, 115.
(7) Ad a. 953.

alio nimirum in vicinitate ædificato, clericisque tradito; qui tamen adeo male sese gerebant, ut ab Ottone Imp. Henrici regis filio, per Isaacum loci Comitem vel hoc, simul cum clericis, in Fulberti episc. transferretur ditionem. Tempore tamen Gerardi Camerac. episc. nondum reparatis inter ipsos moribus, Gerardus clericos dimisit omnes ipsorumque in locum monachos a. 1028 restituit (1).

LANDRIACUM (h. Landrecy), terminus a Carolo Calvo Maricolensium bonis statutus (2).

St. SALVII (St. Sauve), juxta Valentianas, cujus monasterioli mentio in divisione Lothariensis regni a. 870 occurrit (3): ceterum loco antiquitus *Bernæ* nomen fuit, ubi a Carolo M. ecclesia in honorem D. Salvii condebatur (4): unde posterius nomen ducendum.

SOLEMIUM (h. Solemes), locus ad Sellam situs. Fiscus olim regius, a Childeberto III D. Dionysii monasterio a. 706 datus, nostro pago sic adscribitur : « *Villa nostra nocopante Solemio, quæ ponitur in pago Fanomartensi super fl. Scald.* » (5) Memoratur et in vita D. Ansberti archiep. in quâ « *in territorio Hannoensi super fl. Save* » ponitur (6); quod de majore pago iterum intellexeris.

THIMNIM, *Thimon, Tuinium, Thuinium* (h. Thuin), locus ad Sambram, olim miraculis reliquiarum D. Quintini ac

(1) *Origin. Benedict.* MIRÆI, p. 292.
(2) *Act. SS. Belgii*, Tom. IV, p. 125.
(3) MIRÆI *op. dipl.* Tom I, p. 28.
(4) WASTELAIN, *Descrip. de la Gaule Belg.* s. voce Fanomartensis.
(5) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 481.
(6) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 244; coll. *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 144.

Victorici inclytus (1); e quo postea contra Normannos in aciem Ludovicus Transmarinus a. 879 processit (2). Lobbienses monachi, belli furoribus sæpe sæpius quassati, ibi castellum ædificarant : ac Notgerus episc. sæculo nostro oppidi munitissimi formam loco dedit (3).

Valentianæ, *Valencianæ* (h. Valenciennes), juxta Scaldim, fiscus regius, jam tempore D. Salvii, fuit (4); in quo palatium regale erat, ubi a. 693 Clodoveo regnante placitum de *Blandanâ curte in pago Bellovacense* habebatur; (5) ibidem quoque celebris illa synodus a. 771 (6), itemque conventio inter Carolum Calvum et Lotharium a. 832 habebantur. (7). Ceterum ad pagum pertinuisse Fanomartensem ex donatione quâdam Lotharii a. 860 discimus, in quâ sermo est de *fisco Valentianis in pago nuncupante Fanomartinse* (8). « Roborantur, quæ diximus, libello Eginhardi de translatione SS. Petri et Marcellini scripto (9). Sæculo nostro oppidum fuisse eo videtur, quod in annalibus sæpe *castrum* appellatur.

32. Cameracensis Pagi *loca hæc :*

Braceolum (h. Boursier), haud longe a Cameraco inter ea

(1) Cfr. Valesium in *notitia Gallica* s. voce.

(2) *Ibid.* l. l.

(3) Fisen. *Hist. Leod.* L. 8, p. 237, 192.

(4) Cfr. Vita D. Salvii ap. Bolland. ad diem 26 Junii; coll. Bouquet. l. l. Tom. IV, p. 672.

(5) Mabillon *de re dipl.* p. 475.

(6) De quo vel omnes Annales ad a. 771 verba faciunt.

(7) *Caroli Calvi* Capit. c. 12.

(8) Ap. Miræum *op. dipl.* Tom. I, p. 247.

(9) Lib. IV c. 9.

numeratur, quæ in Cameracensi pago a Paschali II P. M. ut Elnonensis monast. bona a. 1007, recensentur (1).

CALDRIACUM, *Chaldriacum, Chauldericum* (h. Caudri), prope Braceolum, locus martyrii D. Maxellendis; in quo, tempore D. Vinditiani, basilica fuit, in honorem omnium Sanctorum constructa (2).

CAMERACUM, *Cameracus, Cameracensium, Camaracus, Cameracesium* (h. Cambrai), urbs ad Scaldim fl. jam a Romanorum temporibus clara. Condita etenim erat, ut ex itinerario Antonini legimus, in via militari M. P. XIV a Bavaco (3). Hanc vel imprimis Franci oppugnarunt (4), arcemque et propugnaculum victoriarum constituere (5) : ibique Ragnacharius (a Clodoveo trucidatus) regale solium posuerat. Chilpericus rex Guntramum timens, Cameracum cum thesauris omnibus confugit (6). Ultima ipsius occurrit mentio in divisione Lothariensis regni a. 870, quo Carolo Calvo adscribebatur (7). Ante infelicem annum 881, quo a Normannis pæne tota flammis deperdita fuit, florentissima stetit (8); paullatim etiam vel postea resurrexit, episcopalis continuo sedes; ab anno præsertim 1007, quo episcopis tradebatur, Henrici imp. moderamine splendorem antiquum recuperavit.

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. II, p. 1151.
(2) *Chron. Camerac.* p. 230. — Coll. *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 240.
(3) Cfr. BOUQUET. l. l. in Tom. I.
(4) AIMONIUS *de gestis Francor.* L. I c. 4. Coll. *Greg. Turonensi* L. II, c. 9.
(5) ADONIS VIEN. *Chron.* ad a. 428.
(6) GREG. TURON. L. VI, c. 41.
(7) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 28.
(8) *Annal. Fuldens.* ad a. 881.

Carneres (h. Carnières), prope Cameracum inter loca occurrit Cameracensi eccles. a Carolo Simplice (nec vero a Carolo M. ut apud Miræum est) donata « *in pago quidem Cameracense Carneres, Lis, Vinzenzias, Muntiniacum, Gualtercurt, Gundrecias* (1). »

Ferrorias (h. Ferrières), locus ab Arnulpho Com. Cameracensi ecclesiæ traditus; in castelli Cameracensi vicinio situs.

Gualtercurt (h. Walincourt) priori in meridiem situs, in laudato Caroli Simplicis diplomate legitur.

Gundrecias (h. Junchy), haud longe a Cameracensi castello, cum Gualtercurt et Carneres in diplom. Caroli Simplicis a. 929 occurrens (2).

Halciacum a Pascale P. M. inter bona Elnonensis Abbatiæ ad a. 1007 enumeratum. (3).

Hunulficourt, *Hunicurt, Huholcurt, Hunulficurtis* (h. Honnecourt), juxta Scaldim, monasterium erat, ab Amalfredo viro nobili conditum, ab eodemque Sithinvensi attributum, his verbis : » *hoc est monasterium cujus vocabulum est Hunulficurtis in pago Kambrincense super fl. Scald.* » (4).

Moniales prius utriusque sexus hunc locum habitarunt, qui postea monachis tantum masculis cessit : ac a. 870 in partibus Caroli Calvi ex divisione Lothariensis regni legitur (5).

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 937.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 937.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1151.
(4) Cfr. Mabillon de *re dipl.* p. 607.
(5) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 28.

Lesden (h. Lesdain), vicus quarthorio a Cameracensi urbe, in quo Gerardus episc. ecclesiam construxit (1).

Lis (h. Neuvelis juxta Des Rochium; quem vero ego locum potius *Vieilly* esse credo, in quo ipso nomine antiquitas expressa est), in pago Cameracensi situs ex dipl. Caroli Simplicis a. 929 noscitur (2).

Muntiniacum (h. Montigny), in pagi meditullio, cum præcedente in dipl. Caroli Simplicis a. 929 occurrens.

Nigella (Niergny), versus orientem Cameraci urbis situs, in Balderici chronico obviam latus (3).

Nova villa (h. Neufville) ad Scaldim, in recensione bonorum Elnonensium a Pascale P. M. a. 1007 instituta, memoratur; in qua Cameracensi pago accensetur (4).

Pomeriolas (h. Pomerœul), haud longe a Cameracensi castello, vicus erat, pago Cameracensi annumeratus, cum ecclesia, in qua D. Maxellendis sepulta quiescit (5).

Ribecurt (h. Ribecourt), locus ad Scaldim, qui sæpe sæpius cum Gualtercurt in diplomatibus legitur, huic pago adscriptus, ac, ut ex nomine concludendum, curtis regia habendus.

Squavia (h. Esquavert), cujus mentio in Cameracensi Balderici chronico, ubi Cameracensis pagi villa scribitur (6).

(1) *Chron. Camerac.* p. 331.
(2) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 937.
(3) Cfr. p. 331.
(4) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 1151.
(5) *Chronic. Camerac.* p. 44. — Coll. *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 24.
(6) *Chron. Camerac.* p. 51.

Tiliodum (h. Tyloi), juxta Cameraci urbem, in Cameracensi laudato chronico non minus occurrens (1).

Vallis (h. Vaux), ad eas pagi partes pertinet, quæ meridiem magis attingunt; locus ceterum pagi Cameracensis est, in quo natus fuerat D. Landelinus (2).

Vendelias, *Vinzenzias*, *Venzelseis*, *Vendeljie*, *Castrum D. Mariæ*, *Castellum Cameracense* (h. Chateau Cambresis) a Dagoberto I ecclesiæ Cameracensi a. 640 donatum, ubi jam cum ecclesia obviam est (3). Donationem illam, ut videmus, Carolus Simplex postea a. 929 confirmavit (4); sed incursionibus Veromanduorum æque ac Theorasciæ pagi comitum hæc ecclesia Cameracensis ita spoliebatur, ut veniam episcopus ab Ottone imp. impetraret muniendi Vendeljas vicum (5); unde sæculo nostro habemus arcem, vallis circumdatam, murisque cinctam; quæ quidem loci mutatio ei *oppiduli* et *castri* nomen indidit (6).

Cœnobium D. Andreæ a Gerardo episc. a. 1021 inceptum, post a Lietberto peractum (7), sat erat spectabile.

Vinciacus, *Vinciagus* (h. la cense de Vincy, sive, ut plerumque, Crevecœur), qui locus vehementissimæ pugnæ illius inter Carolum et Chilpericum atque Raginfredum testis quasi

(1) *Ibid.* p. 103.
(2) *Act. SS. ord. D. Benedicti*, sæc. II, p. 873.
(3) Miræi, op. *dipl.* Tom. III, p. 1,
(4) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 937.
(5) *Chron. Camerac.* p. 200.
(6) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 56, 148.—Coll. *Act. SS. Belgii*, T. IV, p. 160.
(7) Cfr. Miræi *origin. Benedict.* p. 264.

dici potest : unde vel omnes annales Francorum de hoc prælio verba facientes, locum nominant, ac Cameracensi pago adscribunt (1).

Walliu in pago Cameracensi ponitur in donatione, qua hæc villa D. Dionysii monasterio a. 779 adscribitur (2); ut etiam in confirmatione donationis Gislæ, Caroli M. sororis, ab hoc imperatore facta (3).

33. Fanniæ *Pagellus*.

Bavia (h. Baives), ad minorem Helpram villa, quæ cum territorio suo recensetur inter ea, quæ in Fannia a Dagoberto rege jam a. 640 D. Landelino traduntur (4).

Bellomont (h. Beaumont), in boream versus, oppidulum, a. Richildi comit. Hanagaviæ muris ante a. 1086 circumdatum (5), ac ecclesiola in honorem D. Venantii exstructa, ab ipso Leone P. M. a. 1049 sacrata, ornatum (6).

Curtis solre (h. Coursolre), inter Bellomontium et Sambram fl., vicus, de quo in vita D. Walberti mentio est (7), et qui *prædium D. Aldegondis* ab Hucbaldo in gestis hujusce sanctæ, vocatur, ubi sanctimonialibus ecclesiola ædificata stetit (8).

(1) Vide Annales Metenses ad a. 717.
(2) Ap. Mabillon *de re dipl.* p. 503.
(3) Dublet. *Hist. abbatiæ D. Dionysii*, p. 721.
(4) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 489.
(5) Ægidius *Aureæ Vallis ap.* Chapeauvill. Tom. II, p. 9; coll. *Genealogia Balduini de Avenis* in *Spicil.* d'Acheriano, Tom. III, p. 288.
(6) Meyeri *Annal. Flandrens.* ad a. 1049.
(7) *Act. SS. Belgii*, Tom. III, p. 335.
(8) *Act. SS. Belgii*, Tom. IV, pp. 302 *coll.* 300, 295, 297.

Lætia (h. Liessies), monasterium ad minorem Helpram, jam Pipino rege, a. 751, a Witberto com. conditum (1). Normannorum tempore peribat, paullo post a Theodorico Avenensi de novo instauratum (2).

Terluinum (h. Terlon) ad Helpram minorem : locus in vita D. Hildetrudis commemoratus (3).

Walare, *Guaslare, Wasler, Waslerum, Waslare, Waslarense, Guaslarense monasterium* (h. Waslers), monasterium erat, ut a Folcuino scribitur, in Fanniæ finibus, Theorasciam versus situm (4), a Waslero fl. nomen adeptum. A Dagoberto rege D. Landelino a. 640 tradebatur (5); sub tutela Cameracensium episcc. a D. Ansberto a. 642 receptum (6), a Pipino autem Lobbiensi suo monast. a. 691 concessum (7), circa a. 800 ad Fuldensem abbat. (ut ex ejusdem recensione bonorum discimus) pertinuisse videtur (8).

(1) Miræi *origin. Benedict.* p. 182.
(2) Wastelain, *Descrip. de la Gaule Belgique*, p. 414.
(3) *Origin. Benedict.* Miræi, p. 182.
(4) Chronic. Lobbiens. in *origin. Benedict.* Miræi, p. 129 laud.
(5) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 489.
(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 490.
(7) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 1126.
(8) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 5.

CAPUT IX.

PAGUS MAJOR

LOMACENSIS.

Nomina varia; fines ac limites; pagi divisio; pagus Darnoënsis ac Lomacensis proprius.

§ 34. Ultimus hic omnium pagorum nostrorum vario nuncupatur nomine : *Lomensis*, *Laumensis*, *Lumensis*, *Laumacensis*, *Lomacensis*, cujus nominis etymon omnes ducunt a fluviolo *Lomma*, qui tamen ne alluit quidem pagum nostrum : cautius in hac re egit *Dewezius* (1), vir clar., qui etymon non aliunde quærit, quam a *rupe* cognomine in ipso obvia.

35. De pagi *limitibus* sic satis probabiliter omnes scriptores conveniunt. Hasbannia ad boream, pago Hanagaviensi ab occidente, Pontano a meridie, Mosa tandem fluvio ab oriente limitatur. *Besselium* vero errasse jam monuimus, utpote qui Sambrensem pagum Lomacensi adscribit; unde vel hujus fines occidentales latius extendit, quam fas est.

36. *Lomacensis* pagus *major* est, ac facillime *bifariam dividitur*, in *Lomacensem proprium* ac *Darnoënsem*, qui quidem in illo, scilicet *majori*, inclusus, proprio nomine venit, quin de Lomacensi *minori* sermo sit (2).

(1) In Lexico Geograph. s. voce *Lomacensis*.

(2) De hâc agendi ratione supra in pago *Wasdæ* disputavimus, quem vide.

37. Pagus *Darnauensis*, *Darniensis*, *Darmiensis*, *Darnau* septentrionales majoris Lomacensis pagi partes tenebat, ad Mehaniam usque fluvium in boream excurrens, Hasbannia limitatus : ad occidentem Dylia sive, si malueris, Brachbatensis pagi limite terminabatur; a meridie ad Gemblacum extensus (neque vero ad Sambram usque, ut male *Wastelinus*, *Des Rochius* atque *Besselius;* loca enim *Fraxinum*, *Bavis*, *Jemappia*, aliaque trans-Sambrina ad Lomacensem proprium pertinuere); ad orientem Mosam tangit. Hinc iterum errant et *Besselius* et *Des Rochius*, qui ultra Geldiu fluvium eum non extensum esse autumant : cui vero sententiæ obloquitur situs locorum *Sels*, *Marce*, *Curtil* aliorumque, ad Mosam usque fluvium sitorum.

38. Lomacensis proprius cæteras partes Lomacensis pagi complectebatur, quæ magis in meridiem jacent.

Hoc loco vel Maginisi pagelli meminisse sat est; qui in chartâ Caroli Simplicis adducitur (1), ut versus boream ab inde Ruvivinio juxta Mosam extensus esse videatur, ita tamen exiguus, ut nec ullus expresse ipsi adscribatur locus.

Ejusdem naturæ subpagellus vel Namurcensis (circâ Namurci civitatem) occurrit, qui, ut ille, forte ambitum quondam civitatis (*Burg* s. *castri*) fecit, propriumque ab initio agnovit dominum, donec uterque a majoribus vel pagis vel dominis, sub quibus situs fuit, et a quibus pendebat, absorberetur. Ut denique notulis nostris finem imponamus, notare volumus immensum *Paulini* et *Junkeri* errorem (2), qui comitatum Lossensem *subpagum* scribunt fuisse nos-

(1) Vid. *Veter. Script. Monumenta* Tom. II, p. 39.

(2) De quo Valesius *in notit. Gall.* p. 282.

tri, quum tamen Lossensis ad *boreales partes Hasbanniæ* pagi pertineat.

39. Pagus Darnoënsis *juxta loca descriptus.*

Astnagia (h. Ernage), haud procul a Gemblacensi monasterio, cui ab Ottone I imp. a. 948 confirmatur, atque Darnoënsi pago tribuitur (1).

Bufiols (h. Boufioux) locus præcedenti, quocum in Ottonis diplom. jungitur, vicinus. *Miræus* in notis suis illum in *Boussieres* quærendum autumat; sed villam quondam extitisse, *Boufioux* nominatam, prope Gemblacum sitam, hoc et accolæ, et pascua quædam testantur, quæ hodienum nomen (les *prés de Boufioux*) retinent; quæ quidem pascua, quod sententiam nostram probat, ætate *Des Rochii* v. cl., ut ipse refert (2), ditionis fuerunt Gemblacensis monasterii.

Curtile (h. *Cortil*); locus Mehaniam inter et Sambram intermedius, eadem donationis charta Ottonis Gemblacensibus datus (3).

Gemblacum, *Gemblues, Gembloues, Germelaus, Geminiacum, Gembays, Giblou, Gembloue, Gemblours* (h. Gembloux), locus jam Romanorum tempore notus, per quem via militaris e Bavaco ducebat; cujus eapropter in Antonini itinerario memoria superest (4). Ceterum præcipuum splendorem habuit a monasterio ibi ædificato (5). Castel-

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(2) Vid. *Mémoire sur les limites des provinces*, etc. sæpius laud. s. voce *Lomacensis.*
(3) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(4) Ap. Bouquet. *Recueil des hist. de France*, Tom. I, pp. 107, 125.
(5) *Annales Benedict.* L. XLII. n. 58. Tom. III, p. 376.

lum s. oppidum, consentiente Ottone imp. a. 946, circa monasterium condebatur (1); quod ab Ottone II Leodiensibus episcc. a. 984 tradebatur (2); cujus Advocati comites fuere Lovanienses (3). Donatio illa in omne tempus ab Henrico imp. Leodiensibus a. 1006 confirmabatur his verbis : *Abbatia D. Petri in loco qui dicitur Gemblues in comitatu Darnuensi* (4). Inter loci memorabilia præprimis memoria digna est Bibliotheca monasterii frequens, cura Adolphi Misaci abbatis a. 1071 fundata, quam summa cum voluptate *Ortelius* et *Vivianus*, ut in itinerariis scribunt, inspexere (5). Quod superest, nemo ignorat, *Sigebertum*, chronici notatu maxime digni auctorem, *Gemblacensem* fuisse mo nachum.

Marca (h. Marche les Dames), locus ad Mosam, qui ab Ansfrido comite Laurishamiensi cœnobio a. 862 donatur his verbis : « *Quidquid habeo in proprietate mea in pago Darnau, in marca et villa Sodoia quæ sita est super fl. Geldiu* (6). »

Perniciacum, *Perviciacum* (h. Perwets sive, juxta alios, quod plurimi probant, *Branchon*, qui uterque vicus hodie ignobilis est): cujus mentio est in itinerario Antonini (7).

Salveneriàs (h. Sauvenier s. Sauvenel), juxta Gemblacense

(1) Sigebert. Gemblac. *Chron.* ad a. 949.
(2) Mabillon in *Annal. Bened.* l. l.
(3) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(4) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 11.
(5) Vid. illud *itinerar.* p. 224. Coll. *Grammayi Antiquitatib. Nivellæ*, p. 28.
(6) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 648.
(7) Ap. Bouquet. l. l. Tom. I. p. 107.

monasterium, cui ab Ottone imp. a. 988 conceditur, ac in pago Darnoënsi situs esse dicitur (1).

SARTUM (h. Sart), villa prope Salvenerias, ab Oduino domino Walcuriæ monasterio suo, nuperrime fundato, a. 1026 donata... « *Villa etiam Sartum nomine in Darnau cum Camba et molendino uno et XVIII mancipiis* (2) » cet.

SANCTO locus, cum præcedente villa Walcuriensi cœnobio ab eodem Oduino traditus; sed qui prorsus abiit... « *Ecclesia de Sancto in pago Durnau* » in chartis occurrit.

SODOIA villa, quæ periisse videtur, et quam Lotharius imp. a. 841 super Geldione fl. ponit in *pago Lomensi* (3). Ansfridus tamen comes Laurishamiensi cœnobio a. 826 eam adscribens, *Darnoënsi* pago adnumerat (4); id eo certius, quoniam Darnoënsis fuit Lomacensis majoris pagellus.

VILLARE, *Vos-Villare, Villers* (h. Villers), locus prope Sartum ad Dyliæ fontes; D. Andreæ monasterio a Conrado imp. a. 1033 confirmatus « *Villare in Dornoënsi* » (5); cujus etiam mansus unus in donatione Ottonis imp. anno 948 occurrit (6).

WALAHAIM (h. Walhaim), haud procul a Villare, villa in comitatu seu pago Darnoënsi cum aliis plurimis ab Ottone imp. Gemblacensi monasterio a. 948 tributa (7); in cujus vicinitate sepulcri Romani vestigia supersunt (8).

(1) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 139.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 298.
(3) MIRÆI *op. dipl.* Tom. I, p. 646.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 648.
(5) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 56.
(6) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 139.
(7) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 139.
(8) *Mémoires de l'Académie de Bruxelles*, Tom. IV, p. 446.

40. Lomacensis proprii loca.

Antecia, *Antexia* (h. Anthée), villa inter Florinnes et Dînantum, cujus mentio in vita D. Hadelini, ubi matrona quædam potens sancto viro mansum unum ad vitam sustentandam donat in *Anthegia* (1).

Bavis (h. Bovesse), villa ad Mehaniæ fontem, a Pipino Heristallo Lobiensi monasterio a. 697 donata (2).

Beis (h. Bey), in tabul. *Guicciardini Bes*), locus ad Mosam, ubi quædam a Ludovico Pio fideli suo Aginulpho a. 832 concessa occurrunt.... « *In pago Namurcensi in villa nuncupante Beis* (3). »

Beverna (h. Beverne, s. Bievene s. Bienne), inter Sambram ac Horam, locus jam ex antiquo tempore notus, de quo in gestis Dagoberti hæc leguntur : « *Venit in pago Lomensi et mansit in villa, quæ dicitur Beverna* (4); quæ quidem res villam regiam indigitare videtur.

Bronium, *Brumaga*, *Brumion*, *D. Gerardi monasterium* (h. Brogne), in sinistra Mosæ ripa, meridiem versus, ad tertium a Namurco lapidem, Benedictinorum abbatia, quam Gerardus quidam vir nobilis construxerat, cujus hæc origo : Pipinus Heristallus, qui in hoc loco cellam habuit, ubi a venationis exercitiis quodammodo quiescere posset; mox fideles suos jussit, ut oratorium ibi conderent (5). Jam Gerardus

(1) *Act. SS. Belgii*, Tom. V, p. 622.
(2) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 283.
(3) Ap. Martenium *ampliss. Dipll. Collect.* L. I, c. 88, coll. Bouquet. l. l. Tom. VI, p. 574.
(4) *Act. Dagoberti regis*, p. 16, coll. le P. De Marne, *hist. de Namur*, p. 88.
(5) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 806.

ille, Berengario Lomacensi comiti inter paucos carus, sumto monachorum vestitu, illud ita ampliavit, ut revera alter haberi auctor institutis posset (1). Carolus Calvus fundationem diplomate a. 914 confirmavit; quem vel subsequentibus annis imitati sunt Henricus Auceps (2) ac Otto III (3).

Henricus vero illius successor, monasterium Norberto ac Leodiensibus episcc. a. 1006 condonavit (4). Ceterum in omnibus hisce dipll. pago Lomacensi locus adscribitur.

Calco (h. Choux), in Mosæ ripa, *in comitatu Luminse, villa quæ dicitur Calco,* ut in donatione legimus, qua a Lothario rege Stabulensi monasterio tribuitur (5).

Corbreium (h. Corbrion), in dextra Mosæ ripa, a Lothario II D. Andreæ monasterio datur (6), ipsique a Conrado imp. a. 1033 confimatur (7), in utroque diplomate Lomacensi pago adscriptus.

Cuvinium, *Cubimium* (h. Couvin), castellum haud longe a Mosa, infra Revivinium, Coivensis comitatus, ut in charta Caroli Simplicis anni 910 dicitur, caput (8); a Balduino Jerosolymitano Olberto Luivensi episc. a. 1096 venditum, ubi pagi Lomacensis prædium vocatur (9).

(1) Miræi *op dipl.* Tom. II, p. 806.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 38.
(3) *Ibid.* l. l. Tom. II, p. 807.
(4) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 11.
(5) Miræi *Codex donat. piarum* c. 30.
(6) In *Veterum scriptis et monumentis,* Tom. II, p. 25.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 56.
(8) Wastelain *Descript. de la Gaule Belgique*, p. 213.
(9) Miræi *notit. Eccles. Belg.* c. 34.

DIONANTUM, *Deonant, Dinant, Dinantis, Sanctæ Mariæ in Deonant* (h. Dinant), castrum ad Mosæ ripam dextram, quinto a Namurco lapide, duodecimo a Leodio dissitum, ad Lomacensem, neque vero ad Condrusiorum pagum, ut eruditi quidam volunt, pertinens: quod et diplomata jubent et vicinitates Corbreii loci, quem Lomacensi pago supra vindicavimus. Vocem quidam a Diana dea ducunt, memorantque, hîc antrum fuisse repertum, in quo olim Dea illa sacra habuisset (1). Mittamus hæc, veriora referentes, si quidem veriora sunt, quæ de D. Materno dicuntur, qui in eo oppidulo ecclesiam construxisse perhibetur (2): D. Monulphum nempe, Tungrorum episc., filium Randaci, Dinantis comitis sive domini, ecclesiam quandam ibi a. 558 construxisse suisque ditasse sumtibus (3). D. Perpetuum quoque ecclesiam in honorem D. Vincentii ibidem ædificasse ferunt: quo jam tempore spectabile oppidum erat, de quo anonymus Ravennas: « *Delo Franciæ Rhenensi, ait, nominavimus, sunt civitates, Nasaga, Dinantis, Oin, Namen* (4). Monasterium habuisse locum ex verbis conjicimus, quibus in divisione *Lotharingii* regni Carolo Calvo a. 870 tradebatur (5). Inter varia hujus regis bona memoria etiam occurrit « *Divæ Mariæ in Deonant;* » quod fortasse postmodum ab Richario Leod. episc. ecclesiæ Leodicensi a. 734 submittebatur (6) ac Notgero episc. a D. Henrico a. 1006 confirmabatur (7).

(1) FISEN, *hist. Eccles. Leod.* Tom. I, p. 42.
(2) *Act. SS. Belgii.* Tom. I, p. 81.
(3) FISEN *Flor. Eccles. Leod.* p. 330.
(4) Anonym. Raven. ap. BOUQUET, *Recueil des hist. de France.* T. I, p. 120.
(5) Ap. MIRÆUM *op. dipl.* Tom. I, p. 28.
(6) WASTELAIN, *Descript. de la Gaule Belg.* p. 207.
(7) MIRÆI *op. dipl.* Tom. III, p. 11.

Florinnes (h. Florinnes), oppidulum supra Beverna fl. Castrum etenim in chronico Saxonico nominabatur (1). Duo locus videtur habuisse monasteria (2), clericorum unum, alterum monachorum a Gerardo I Camerac. episc. conditum, ac a D. Henrico imp. confirmatum (3); ubi hæc occurrunt verba : « *Abbatiam quamnam in pago Lomacensi sitam Florines.* » Quod superest, hoc teneamus, non longe a Florinnes (qui locus nobilium quoque frequentia ornatus extitit) (4) atrocem illam pugnam inter Godofredum Brachbatensem et Rachinerum, Hanagaviæ comitem, fuisse commissam (5).

Fossa, *Vossua* (h. Fosses), monasterium prope Namurcum, sæculo VII a D. Foilano in donum D. Gertrudis virginis constructum (6); Stephano Leod. episc. a Ludovico rege a. 908 traditum (7); Notgero episc. confirmatum, muris turribusque munitum ac circumdatum; (8) unde sæculo nostro, haud injuria, oppidum appellaveris, eo magis, quod vel ab Ottone II imp. telonium, mercatum et monetam a. 994 acceperat (9).

Fraxinium (h. Fraisnes s. Frêne), ad Dyliæ fontes, de quo Carolus M. ecclesias quasdam Aquisgranensi ecclesiæ a. 776

(1) A Bouquetio laudato. Tom. X, p. 230.
(2) Miræi *Chron. Benedict.* p. 254.
(3) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 658.
(4) Cfr. chron. Walcor. ap. Bouquet. *op. laud.* Tom. XI, p. 253.
(5) Sigebertus Gemblacens. ad a. 1015.
(6) Cfr. Sigebert. Gemblac. ad a. 648.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 34.
(8) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 11, coll. Ægidio Aurævall. ap. Chapeauville, Tom. I, p. 206.
(9) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 208.

adscribens (1), ita loquitur : *nec non in pago Luminse Fraxino.* Postea Affligheniensi cœnobio inopi a. 1099 adscribitur (2).

Hasteriæ (h. Hastiers), Abbatia Benedictinorum ad Mosam a Wirico com. ejusque uxore a. 654 (referente *Grammayo*) fundata; nisi verius abbatiæ origo sæculo IX sit adscribenda (3); quæ ceterum jam a Carolo Simplice Stephano Leod. episc. subdebatur (4).

Landrici castrum (h. Landrichamp), prope Givacum, cujus hæc mentio in veterum scriptis et monumentis « *in loco nuncupante Landricum castrum in pago s. in comitatu Lomensi* » (5).

Malonia (h. Malogne), super Sambra, haud longe a Namurco, monasterium a Bertuino Britanno fundatum (6), atque a D. Henrico Notgero Leod. episc. a. 1006 datum (7).

Melin, locus qui a Roberto com. Walciodorensi monasterio a. 946 donatur; quem ita describit diploma : « *quamdam villam Melin nomine, ab ipso cœnobio fere duobus millibus distantem, in eodem pago Lomacinse situm* » (sc. dono) (8).

Monasterium (h. Moustiers s. Mousters), ad Sambram fl.;

(1) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 496.
(2) *Ibid.* l. l. Tom. I, p. 337.
(3) Dewez, *Dict. Geogr.* s. voce.
(4) Miræi *op. dipl.* Tom. II, p. 825.
(5) *Ibid.* Tom. II, p. 40.
(6) Wastelain, *Descrip. de la Gaule Belg.* p. 212.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 11.
(8) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 293.

villa ubi a D. Amando monasteriolum a. 641 fuerat ædificatum (1); quocum a Pipino Heristallo Lobiensi abb. a. 697 dabatur (2) atque simul cum ecclesia sua a Normannis a. 883 delebatur.

Namurcum, *Namugum*, *Namucum*, *Namuchum*, *Namon*, urbs ad Sambræ Mosæque confluentes. Castrum sæculo nostro vocabatur; id est *oppidum* muris circumdatum, vallisque munitum. Sæculo VII prima ipsius occurrit mentio: jam antea tamen locum stetisse dubitari nequit; si quidem a Ravennate anonymo (3) jam tunc inter civitates memoraretur. De eo Sigebertus Gemblacensis ad a. 689 pugnam inter Pipinum et Gislemarum commissam describens, refert Namurcum esse castrum. Lomacensis pagi caput erat (4), eo tempore sat exiguum, utpote inter Sambram ac Mosam contentum (5). Ecclesiam habuit D. Mariæ (6) anno 934 et D. Albini capitulum Cannonicorum a. 1006, ab Henrico II Leodiensi ecclesiæ submissum (7).

Ruvivinium, *Rusvivinium* (h. Revin), locus ad Mosam, a Pipino rege jam Prinniensi abbatiæ datus.... « *Rusvivinium in pago Lommensi* (8).

Vulpi-Leonis, incognitus locus, qui cum Beiss (de quo

(1) Miræi *chron. Belg.* ad a. 641.
(2) *Act. SS. Belg.* Tom. II, p. 218.
(3) Vid. s. voce nostrâ *Dinant.*
(4) *Fredegard. Scholast.* c. 98.
(5) *Dict. Geogr.* de M. Dewez s. le mot *Namur.*
(6) Wastelain *Descrip. de la Belg.* p. 213.
(7) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 11.
(8) Miræi *Annal. Bened.* p. 11.

supra) a Ludovico Pio a. 832 fideli suo Aginulpho dabatur his verbis : « *in eodem pago Namucensi, in loco qui dicitur Vulpi-Leonis, mansellum unum* » (1).

Walciodorum, *Walciodorense*, *Walciodorus* (h. Vausoir), ad Mosam, castellum, in abbatiam ab Elberto Florinnensi ejusque conjuge a. 946 conversum (2). Illud præsertim Namurcenses comites ditarunt (3), atque auctoris ibi sepulcrum præsto est.

Walcuria, *Walencurtis*, *Walencuria*, *Valcuria* (h. Walcourt), oppidulum ad Horam fluviolum situm, quod a Saliis conditum annales scribunt, si quæ illis in hac re fides; mihi tamen post Normannorum tempore conditum videtur (4). Oduinus quidam, Walcuriæ dominus, in eo capitulum, s. collegium canonic. fundavit (5). Ceterum pristinus splendor loci anno 1615 flammis cum toto fere oppido periit.

(1) Martenii *amplis. collect. dipl.* c. 88.

(2) Miræi *op. dipl.* Tom. I, p. 259.

(3) *Ibid.* l. l. Tom. III, p. 293.

(4) Cfr. Grammaye in *Namurco*, p. 74.

(5) Miræi *op. dipl.* Tom. III, p. 298.

INDEX

IN CAROLI EUGENII IMBERTI

GEOGRAPHIAM PAGORUM.

A.

B.

S.

S.

T.

T.

U.

FINIS.

ERRATA.

In Annalibus Anni 1817 — 1818.

In Præfatione pag. 11, lin. 15 pro delusitatque lege : *delusit*, *atque*.

In Indice pag. 13, lin. 15 pro habitatarum lege : *habitarum*.

In Serie Prælectionum pag. 57, lin. ult. idem corrigendum.

— pag. 59, lin. 4 idem corrigendum.

In Oratione Rectoris M. pag. 92, lin. 18 pro exemplum lege : *in exemplum*.

— pag. ead. lin. 25 pro utque lege : *atque*.

— pag. 94, lin. 8 pro sufficiat lege : *sufficeret*.

— pag. 95, lin. 16 pro nulli lege : *nunc*.

— pag. 98, lin. 2 a fine pro prostat lege : *præstat*.

II. In Annalibus Anni 1818 — 1819.

In Statutis Bibl. Acad. pag. 36, lin. 3 a fine pro thesa uri lege : *thesauri*.

— pag. 37, lin. 4 a fine pro turbandisunt lege : *turbandi sunt*.

In Oratione Rectoris M. pag 57, lin 4 pro liceant lege : *liceat*.

In Respons. ad Jurid. Quæst. pag. 32, in notâ lin. 2 pro curin efficax lege : *cur inefficax*.

— pag. 34, lin. prim. pro ostea lege : *postea*.

— pag. 36, lin. 15 pro geniium lege : *gentium*.

— pag. ead. lin. 22 pro ea lege : *eo*.

— pag. 45, lin. 15 pro eo lege : *id*.

— pag. 75, lin. 17 pro supra confectionem lege : *super confectione*.

In Respons. ad Quæst. Phys. pag. 8, lin 5 pro aëriformia lege : *aëriformis*.

In Respons. ad Quæst. Literar. pag. 4, lin. 5 a fine pro auserint lege : *ausi fuerint*.

— pag. 18, lin. 6 a fine pro passa lege : *passus*.

— pag. 30, in notâ prim. pro l. I. lege : *l. l.*

— pag. 34, lin. 3 a fine pro diligerent lege : *deligerent*.


— pag. 42, lin. 13 pro mariscum lege : *Mariscum*.


— pag. 47, lin. 6 pro collebatur lege : *colebatur*.

— pag. 55, lin. prim. pro occurit lege : *occurrit*.

— pag. 60, lin. 3 a fine pro fore lege : *fere*.

— pag. 65, lin. 9 pro Asfridi lege : *Ansfridi*.


23
24'
Vahal. Fl:
Rhenu
m t


23
24'
Vahal. Fl.
Rhenu